

**Celeberr. virorum apologiae pro R.D. Carolo Musitano adversus Petrum Antonium de Martino ... qui Trutinam medicam anno 1688 ... / editam ... impugnare ausus est.**

### **Contributors**

Musitano, Carlo, 1635-1714.  
Martino, Petrum Antonium de.

### **Publication/Creation**

'Kruswick : Apud Petrum Antonium Martellum'; [Geneva] : [Chouet, etc.],  
[1700]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cyaza9nm>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





Libreria Antiquaria  
ANGELO GANDOLFI  
BOLOGNA

Materia

*Scienze VIII*

Ubicazione

*XL F*

Volumi

*1*

Prezzo L.

*2*

*1910*

*A. XXX. m*

*38156/B*

*a 1451*

Scanzia

*6*

Casella

*6*

N.° d'ordine

*4*



10.E.7

30702

4/12







CELEBERR. VIRORUM  
APOLOGIÆ

*Pro R. D.*

CAROLO MUSITANO

ADVERSUS

PETRUM ANTONIUM DE MARTINO  
MEDICUM GEOFONENSEM,

*Qui*

TRUTINAM MEDICAM

*Anno 1688. Venetijs typis editam,*

*Quâ*

HARVEANA SANGUINIS CIRCULATIO

*Aliæque Recentiorum Medicorum Sententiæ statuminantur,*

*temerè, & ineptè impugnare ausus est.*



KRUSVVICK.

Apud PETRUM ANTONIUM MARTELLUM

---

M. DCC.









*Ad Nobilissimum, Excellentissimum, & Experientissimum*

*Dominum*

JOANNEM BAPTISTAM VULPINUM  
ASTENSEM

*Celeberrimum Medicinæ Professore.*



LIENIS præjudiciis usque in hanc ætatem medentes emancipati fuere, & aliena dogmata superstitiosè coluerunt; existimabant enim consuetam medendi methodum non nisi temerario ausu, & sacrilego ore à fundamentis everti posse. Tanquàm hæreticus litterarius citra appellationem mulctantur, qui pro infallibilibus articulis antiquariam non profitetur doctrinam. Sunt isti medici antiquarii Palladis, phsitacis haud assimiles, qui verbum proferre ignorant, quod à decrepito Galeno non hauserunt, undè nec quatuor verba unà consuere sciunt, esto Demosthenis potiantur acu, ni filum à rancidis Galeni documentis mutuuntur, & cùm propriâ careant doctrinâ, antiquariâ amiciuntur. Phlebotomandi supplicium ad Romanorum ultionem à Galeni garrulitate in medicinam intrusum fuit, cùm aliis non potirentur armis Graj, & hoc piaculum per traducem, quasi per veneficium, omnes Mundi plagas sceleravit Galenus. Quantum potuit una Galeni versutia hoc exitiale venenum per omnes oras propaga-



re! Hinc phlebotomandi libertatem apud medicorum synagogam adeò invaluisse factum est, ut eam respuere, nonnisi maximum esset scelus, & tamen hæc parentes filiis, sorores fratribus, uxoresque maritis in floridâ viduavit ætate! Nec proindè resipiscunt, nec admoneri volunt vulgares. Quotidiè occisorum sanguis incassum clamitabat ante thronum DEI: *Vindica Domine sanguinem nostrum, qui effusus est*, qui tandem clamor superos penetravit polos, & te, Peritissime *Vulpine*, ut vulpinâ dexteritate, & sagacitate tuâ sanguinarios deprimeres medicos, vel ut saltem mitiori phlebotomo, & ubi par est, phlebotomia celebretur, destinavit miseratione motus Apollo. Publici juris libellum proprio Marte typis deprompsisti, cujus titulus: *Hemophobia Triumphus, sive Erasistratus Vindicatus*, aureum planè opus, & Dædaleâ elaboratum arte, nec alius quadrabat titulus, quàm phlebotomiæ timor: nam *Primus in Orbe Deos fecit timor*. Hic tuus libellus pro phlebotomiam coërcendo, eam funditus evertit, ut ex eo, quem nuper accepi, & longo post tempore ad me pervenit, lætitando, collegi. Undè in malâ fide constituta hominibus suspecta evadere cœpit. Nec te pigeat, si Vulgarium synagoga medicorum maledictis urgeat, quia sanguinis missionem firmis, validisque rationibus denegas, nam in Sapientis animum non dolor, nec injuria cadit. Merito queruntur, & te Vatiniano prosequuntur odio, quia eorum Medicinam mutilasti; hæc namque duabus innititur columnis, purgatorio scilicet medicamento, & phlebotomo, & hoc dempto claudicat. Ringentes sanè sunt canes, qui jacentium formidine perterriti in projectos tantum lapides insiliendo, rabiem explent, verum latrare possunt, mordere verò nequaquam. Nè viventes laudent, thuris



suffitus defunctis exhibent, ac nè recentiorum operibus plaudant, in veterum jugum se redigunt. Novite meam *Trutinam Medicam* invenire non potuisse, hanc tibi mitto; sed Clarissime *Vulpine*, non impari fruimur sorte, cùm in tantam devenerint Galenistæ temeritatem, ut maledictis recentiores impetant, & sterilitatem suam deplorantes aliorum fœcunditatem obtrectent, & de optimis literis benemerentes excrentur, ac tanquàm novatores proclamant, & tamen sub sectariorum Medicorum Imperio miserè, afflictèque vivunt. Rancidam Galeni Medicinam pervicaciter tueri conantur, (aliam enim nesciunt, nec addiscere possunt) quia ejus doctrina, & authoritas defecit, non desunt tamen, sed pauci remansère, qui tanquàm Galeni procuratores, ceu per epistolam ei prelo patrocinentur. Hujus farinæ est quidam Urinæ, & Merdæ medicafter Geofonensis, *Petrus Antonius de Martino* dictus, qui in meam *Trutinam Medicam* invecus ad Collegij Salernitani, & Galeni tutamen, pro fœtu luce digno sui ingenij monstrum edidit, quo se ipsum, cœterosque Galenicos conspurcavit, nec aliâ de causâ hanc suscepit Spartam, quia Galeni Medicinam tot sæculis receptam everto, Galenistas, Peripateticos, & Excellentiores Medicæ facultatis procures prosterno, Animam in Capite colloco, Dolorem non fieri ab intemperie, Galenicorum Pharmaca esse inutilia, Phlebotomias noxias, Clysteres pudendos, Cauteria, Vesicantia, ac Univerſa eorum Medicamenta esse inutilia, & noxia, Ventriculum non chylicare, Hepar sanguinis officinam non esse assevero, & sexcenta alia. Imò ineptè sanguinis circulationem Sole clariorem rejicit. Iste Simplissimum fovet Idiotissimum, ac magnâ rerum ignoratione premitur, & doctas haberi vult, nec ei unum talentum con-



creditum fuit, ut dicere posset: *Domine unum talentum tradidisti mihi, ecce alterum superlucratus sum.* Est Philosophiæ ignarus, Medicinæ ignarissimus, & quod de hujus temerario ausu in admirationem subit, nec prima Latine Linguae rudimenta à primo salutavit limine, & adeò rixosis, & inconcinnis verbis ridiculis vanitatibus, frivolis rationibus, & puerilibus syllogismis famosum pro se ipso excussit libellum, ut Heraclitum ad cachinnos adigeret: Verùm nihil probat, cùm fuerit Ignarus, & rusticâ nimium invidiâ motus dentes acuire tentat in eum, qui suo labore omnibus prodesse conatur; unde Medicorum etiam Vulgarium factus est Fabula, & à Galenicis ipsis tanquàm Ridiculus ob ejus resupinatam ignaviam maledictis premitur. Blaterat, & Latrat, quia Canina est Bestia, mordere nequit, quia Edentulus est; non Erudit, sed Rudit, quia est Asinus Balaam, imò sub formâ hominis est Asinus, Lucio Apulejo oppositus, qui sub formâ Asini erat homo. Quis, qualis, & quantus sit homuncio iste Temerarius, Miserabilis Censor, Insulsum jumentum, & Arcadium pecus, brevibus delineavi, & non dilaniavi, ut sua exposcant merita, sed ejus ineptias ex libro magis conjicere poteris. Hoc Martinianum Opus, cujus Bardus titulus est; *Responsum Trutinæ Medicæ Musitani* à typis Neapoli egestum ad te mitto, non eruditionis captandæ gratiâ, sed si tibi superest in similibus ineptiis terendi tempus, quandoque intermissis tuis eruditæ lucubrationibus, vacuis horis, joci, & ludicri causâ aliquantulum oculis perlustra: sed quæsò, nè succenseas, potiùs miserabili Galenico ignosce censori, non enim plus sapit. Accipe quodcumque est unâ cum meâ *Trutinâ Medicâ*, sed vereor, ne consecrant in itinere manus, nam contrariorum

sem



semper pugna, & dissensus est, ac verbera cum verbis confundantur. Mea Trutina tibi meo nomine dat salutem, tuasque deosculatur manus. Hanc itaque benevolò animo, meæ erga te observantiæ in pignus excipias, precor, qualiscumque sit, gratam fore ob tummam suam humanitatem non despero, & estò inter tot tui Musæi Illustrium Authorum volumina sedem habere nequeat, sat spectabilis erit, si remoto angulo potietur. Vale, & animitus salve mi Clarissime *Vulpine*, atque omni prosperitate vivas, valeasque.

Dabam Neapoli è meo Musæo  
Kalendis Maij, Agonizante  
Sæculo, Anno scilicet

1700.

Amicus Perpetuus

**D. CAROLUS MUSITANUS**

Phil. & Med. Professor.





ERUDITISSIMO, ET EXPERIENTISSIMO

Domino

DN. CAROLO MUSITANO  
MEDICINÆ PROFESSORI.

JOANNES BAPTISTA VULPINUS  
Medicus Astenfis.  
S.P.D.



CCEPI diebus mox lapsis summâ cum jucunditate humanissimam tuam unâ cum Libro cui titulus *Petri Antonij de Martino Geosfonensis Responsum Trutinæ Medicæ Musitani*, Obstupui sanè quomoddò Vir iste (ut ex primarum linearum lectione haurire potui) levis secus armaturæ miles, validissimos tuos conatus auferit insultare, verùm ejusdem postea cognomine ritè perpenso mirari desii, Nam cum *Martinus* apud nos idem ac contumax, & cervicosus, imò Hircus, Caper, Aries, & quid simile audiat jam novum mihi non fuit hujuscæ farinæ homunculos cum parum aut nihil de proprio possideant, innato quodam pruritu, & livore (saltem ut videantur) aliis semper impetere, & insultare, & maxime dictus *Martinus*, qui prout Salernitani Collegii Alumnus, *Galen*i partes qualescunque fuerint pro modiolò sustinere, & ex voto defendere tenebatur.

Ignotum sanè hæctenus mihi fuit Salernitanum Collegium nedum Orbi litteratio, sed rudi etiam plebeculæ ob Iginæ præcepta tanta olim cum famâ, & applausu evulgata, tam celebre & illustre, servili man-



mancipio *Galenus* sic se aligasse, ut suos Alumnos (contra charitatem quæ libertatem arbitrii jussu illius qui eam adimere poterat, cunctis permittit) ejusdem placitis juramento perstringat, undè postea Miserabiles isti pecudum more non quâ eundum, sed quâ itur Majorum suorum vestigia premere coacti, veritatem ipsam quæ tam nitida modò refulget (ne perjuri notam incurrant) salutare nec audeant, quasi *Galenus* ob vitæ, morumque probitatem Vir ille fuisset, cui Deus Optimus Maximus cuncta artis misteria revelare debuisset, & tamen cum talis (ut ipse remonstras) haud fuerit, imò ceu Ethnicus, & Paganus Authorem Naturæ minimè noverit, neque ipsam naturam probè novisse censendum, & maxime cum \* de se proferat quod *nemo nostrum sufficit ad artem constituendam simul & absolvendam, sed satis videri debet, si quæ multorum annorum spatii Priores invenerint posteri accipientes, atque his addentes aliquid illam aliquando compleant, atque perficiant*, unde si ipse propriæ imbecillitatis gnarus artis culmen minimè attigisse, sed complementum Posteris reliquisse fatetur non eis quod *Martinus* infirmius fortè Salernitani Collegii membrum, dùm ipse in artis complementum tantoperè insudas, sic obstrepet, & objurget; si enim quod Veterum fundamentis Galenique Classibus dimissis. Jatrices instaurationi labores, ideò crepat, in Pergamenum potius, qui proprii immemor præcepti nedum sub Antiquorum principiis aliquid non profert addendo artem complevit, sed porro eorum sectis quantum potuit everfis, propriam duntaxat stabilire tentavit, deberet insurgere. Etenim cum ars manca, & obscura, juxta *Seneca*, effatum: *Veniet tempus quò Posteri tam aperta nos ignorasse mirentur, vel ut Hippoc. \*\* Medicina ab antiquo existit, & principium, & via inventa per quam inventa, & multa, & probè habentia comperta sunt per multum adeò tempus, & reliqua deinceps invenientur si quis idoneus sit, & inventorum gnarus ex his ad perquirendam procedat illustrari, & perfici queat*, quomodo fiet si ad Salernitani Collegii, & Martini mentem supra *Galenum* pro piaculo habetur. Absit ergò à genuinæ philosophiæ Alumno tam rigidum, servileque mancipium, & talentum summâ Dei benignitate concreditum, liberè liceat exercere, Amicus enim *Galenus* cum reliquo Antiquorum cœtu satis jam nobis fuit

\* *Comm. ad 1. Aph.* \*\* *Cap. 26. de Veter. Med.*



nunc aliter sentire veritas ipsa compellit & quia ex *Hippocrate* plus ponderis habet ratio, quàm *Authoritas*, idèd ignoscant mihi eorundem *Manes* si alienas ad classes accedo, nam cum *Poëtâ*:

*Me quocumque rapit tempestas deferor hospes.*

*Vilius addictus jurare in Verba Magistri.*

Legi itaque, attentèque ingens *Martini* Volumen, ubi per *Capita Trutinam tuam Medicam* infectatur, perlegi, ast præter excoctam *Crambem* quid sapidi proferat, reperire non valui.

In principio ubi de *Capitis* phænomenis jactabundè præfatur præter alias nugas quas recensere, superfluum duco, *Caput Cœlo* comparans postquam *Planetas* inter *Capilitium* (forte quia ibidem eisdem non sine pruritu haud semel oberrare persenserit) locavit, *Animæ* ad sedem conversus, hypothæsim, quâ eandem in *Capite* ubi *Principes* functiones exercet, reponis (quasi non minus arduum foret, substantiam spirituales cujuscumque ubicationis nesciam in toto, quàm in parte statuere), *Divum Augustinum*, & *Angelicum Præceptorem* contra te implorans, convellere nititur, ignorans quod in re disputabili, nec fidei in codicibus recepta à prædictis *Doctoribus* dissentire pro piaculo non habetur, & maximè cum tuâ in sententiâ non de nihilo difficultas, cur amputato brachio, aut crure, *Anima* pariter non rescindatur facilè declinetur.

De *Cæphalalgia* indè doloris causam perquirens, à magno suo *Jubare Galeno* non dixero cum ipso, illuminatus, sed excæcatus, ubi solutionem continui perennem doloris causam, ceu pro tribunali sedendo promulgat, parum abfuit, quin apertis ulnis in suam descenderim sententiam, tantus enim, ex tam gravi, & profundâ lectione succrevit mihi *Capitis* dolor, ut confestim, ab acutis suorum argumentorum telis, hoc evenisse putaverim, verum hisce postea melius perpenſis impossibile duxi tam *Vana*, retusaque tela, quæ epidermidem penetrare vix poterant, pertuso *Cranio* ad solvendoſ *Cerebri* meninges devenire potuisse, eoque magis cum eadem spicula, quæ mihi dolorem, ipsi sine dubio voluptatem adduxerint, ergò si ab eademmer solutione, dolor, & *Voluptas* natalia agnosceunt, jam doloris causam solutionem continui semper adesse haud ferendum, porro cum omnis sensatio per passionem fiat, cum sentire per *Philosophum* sit quoddam pati, passio autem sine solu.



solutione continui esse nequeat, sequitur quod in omni sensatione quæ sit, per admissionem specierum sensibilium dolor semper adesse (quod experientiæ repugnat) debet, imò cum eadem sensatio, uni Jucunda, alteri molesta (ut dulcia Petro grata, Paulo verò in grata) esse queat, falsum est solutionem continui quæ utrobique concurrit dolorem semper producere. Omittò innumeras alias dari solutiones continui, ut in strumis, gangliis, scirrhis, hydrope, Uteri gestatione, Vulneribus, Ulceribus &c, in quibus, vel nullus, vel non nisi cum ruditer tractantur exiguus dolor percipitur, sed quia de hisce abundè Dominatio tua peregit, idè nè actum agam, porò nihil.

Ad id præterea quod circa Vitam Vitem aliasque similes improprietates Pragmaticis etiam indignas insipidè jocatur, quatenus scilicet pro subjecto doloris vitam hoc est partem viventem constituis, ad id velit nolit assentiri tenetur, nam cum organum per se non sentiat, seminum verò seu Vita impressionum ideas effingat, sensationesque eliciat, sicut tantum, ab organo distracta sensatio non fiat, jam Vitam sive Animam, utur Corpori alligatam, immediatum Organum verò mediatum, doloris subjectum adesse tecum assentior, unde cum dixero Vita mihi dolet non ineptè sed aptissimè loquutum fuisse arbitrarer.

Præterea quod de Intemperie tam simplicis quàm composita commentat, nam cum Ars parva *Galen*i tam parva mox sit ut pro exiguitate in scholis vix discernatur, de istâ differere superfluum duco, queadmodum de sympathicâ illâ apothecâ, quæ inferioribus è Culinis exhalans, cum exitum liberum per os, & Nares commodissimè torriatur per usquam remonstrabiles ductus ad Caput propulsa Cephalalgia, Emicrania, Vertiginis &c causa statuitur.

Ad id demum quod ex te poscit nùm Sales Cephalalgiam, Emicraniam, aliosque Capitis affectus facientes sint separati, an permixti, responderem utroque modo prestare hoc posse, hac tamen differentiâ, quod separati ceu feno destituti, majorem, mixti verò prout alligati, minorem molestiam inducant.

Delirium quod omiseris haud parvum stupet, nescius te ceu peritum Medicum providens, post octo annorum veterum *Martinum*



tandem deliraturum fuisse ejusdem pathologiam, quam in *Trutinâ tuâ Medicâ Instauratâ* Cap. de *Melancholiâ* aptatam sibi reperiet non omisisse, sed duntaxat distraxisse.

De Apoplexiâ, quod in tradendis Capitis phænomenis ordinem non servaveris cum Caduco ipsam præmiserint, te perperam carpit, Nam si *Hippocratem*, *Massariam* quem ut sibi genialem, *Alexandrum* magnum appellat, *Mercurialem*, *Riverium*, aliosque celebres Galenistas, qui tuo ordine incedunt, prius consulisset, tam ineptè non processisset.

In ejusdem porro causis recensendis malè te Novatoris nomine expungit, nam cum ab Antiquorum sententiâ haud te recessisse contendat, ipsum pessimè egisse remonstrat. Quod verò impugnare assumis est (uti reor), quod cum Galenistarum Vulgus pro incuncto habeat, Apoplexiam, ex crassâ, glutinosâque pituitâ Cerebri Thalamos farciente? sic ut spiritibus Animalibus, ad sensuum organa aditus denegetur, progigni, quàm inde sartagine ardente frigere, cucurbitulis, frictionibus, imò phlebotomiis ad necem usque reiteratis, educere tentant, hoc modo non fieri, ratione, & experienciâ demonstras, nam si sic esset, cum hujusmodi præsidia, etiam ex *Martini* sententia, quod est in parte, educere nequeant, & tamen, ab eo duntaxat, imminens Vitæ jactura procedat, dicta tormenta per consequens, vel superflua, vel nullius usus adesse possunt, non ità, in causâ à Dominatione tuâ supposita, in quâ ex *Hippocratis* effato, à solâ sanguinis sufflamine, quæ inde dictis præsiidiis facilè concedit, sentiendum, undè postea si in causarum diversitate, eadem probas, & improbas culpari non debes.

Ad litem de spiritibus Vitalibus, & animalibus quid proferam non habeo; nam cum hujusmodi satellites per me nugæ sint, & chimeræ cum Anima ex se ipsâ absque horum adminiculo, ut cum Doctiss. *Scaligero* loquar sua munia exercere sit potis, idèd ceu superfluos rejici posse censerem.

Caput de Paralyfi, quia suo palato arridet, ideo in solâ objectionum solutione severus Cato se prestat, sed quid responderet ad Doctissimum *Fonssecam* \* qui non è crassâ sed tenui lymphâ, ne dùm nervos laxante sed aciditate tanquàm hemodiâ plecente. ad Cla-

\* Consult. pag. 128.



riſſimum *Etmüllerum* quæ à Lymphæ copiâ motrices muscutorum  
 fibras plusjuſto irrigante, & ad Solertiſſimum *Louuerum* \* qui ex ſolâ  
 cruoris ad partem affectam interceptione experimento in Cane  
 præmiſſo Paralyſim fieri deducit, & de factò ſi Apoplexia, quæ uni-  
 verſalis Paralyſis eſt ex Venarum per *Hippocrat.* interceptione or-  
 tum duxit, cur non item Paralyſis, quæ particularis Apoplexia cen-  
 ſetur?

Ad magnum illud Therapiæ portentum quod in ſeptuagenario  
 feciſſe proclamat., Credat mihi *Martinus*, quod ſi ab initio aprici  
 ſolis, beneficio, ubi præſertim ſulphureis apothæis, in veſtris in  
 Regionibus ferax eſt aër, congrua injuncta vivendi norma, vel  
 diaphoreticis Neotericorum præſidiis ipſum comiſſiſſet, quod citra  
 tot purgantium, quibus ſanitas tantoperè diſtracta eſt, torturas, ci-  
 tius, tutius, & jucundius de rebeli ſuo hoſte triumpharet, unde  
 ſanatio, non ipſi, ſed aëris ſalebritate deberetur.

Tractatum de Epilepſiâ totum nugis conſpergit, nam tuarum  
 objectionum ſolutiones, quas tanti ponderis eſſe ſupponit, tan-  
 tum abeſt, quod aliquam inter Apoplexiam, & Epilepſiam diſfe-  
 rentiam conſtituant, quinimodò eadem magis, magisque ſemper  
 confundunt, nam ſatis percipi nequit, quomodò idem manens  
 idem, ſit ſemper aptum facere idem, & poſteà ſequatur; quod  
 idemmet ſuccus pituitoſus, craſſus, & viſcidus in iſdem organis ſine  
 aliâ conditione faciat diverſa, etenim ſi pituita craſſa initia nervo-  
 rum ocludens per ſe facit Apoplexiam, eademmet eoſdem pari-  
 ter obſtruens meatus, ſi idem ſemper facit idem, Apoplexiam non  
 autem Epilepſiam faciet, nam cum in Apoplexiâ adſit ſenſus &  
 motus abolitio, in Epilepſiâ verò depravatio, ideo idem humor  
 pituitoſus craſſus, & viſcidus non poteſt facere diverſa, tanto magis  
 cum ut ſubdit agens poſitum in ſpherâ ſuæ activitatis non poſſit juxta  
 ſuas vires non agere, quia ſi ſuccus lentus, & viſcidus poſitus in  
 Origine nervorum tanquàm in propriâ ſpherâ, impediendo ſpirituum  
 influxum inducit ſenſus, & motus privationem in eadem permanens  
 ſpherâ iſdem conditionibus præditus ſemper idem impedimentum  
 adducet, & ſic ut doctiſſime inferſ Apoplexiam debilem, vel for-  
 tem non autem Epilepſiam progignet, ad quam faciendam ſim-  
 plex

\* Cap. de Paral. tract. de Cord.



plex motricum fibrarum fodicatio conducit, & licet per os spuma, per nares mucus quandòque expellantur hæc ex compressione & æris allisione stante spasmodica laryngis & farvngis imò Corporis universi, quâ etiam fæces, Urina, semen &c. haud semel etiam exprimuntur, constrictione, non expiruitâ à Cerebro decidua contingunt. Consulatur super hoc doctiss. *Schneiderus*, ubi de Osse Cribri, & Cuneiformi agit, & remonstrabit à Cerebro per dictas vias nullum penitus excrementum excerni, secus fetositates, quibus sæpissimè Cerebri Thalami catent, facilissimo negotio elutriarentur.

Remedia porrò quæ improbas non qua lenientia vel diaphoretica sunt damnari supponerem, sed vulgariter ut *Martinus* habet concinnata, cum nullius roburis, ut passim experimur inveniantur, & cum ipse selectiora magisque proficua exhibeas, ideo sua, & non tua reprobare arbitrarer, idem pariter de cauteriis sentiendum, etenim cum à parte affectâ nil prorsus educant, si aliquod emolumentum attulisse quandòq; sunt visa, non emunctoriis istis, quæ præter destinatum sibi chimum nil aliud plorare norunt, sed vel dolori, vel inversæ ideæ, vel mutatæ succorum Texturæ, spontè, haud semel sequutæ, imputandum venit, præsertim cum decantata revulsio quidquid cum *Martino* alii pariter obganiant, nec à cauteriis, nec ab aliis evacuationibus, legitimè obtineri queat.

Capite de Vertigine quid pariter obtrudat non affert, imò te ipsum fucatis encomiis extollens, ceu *Galen*i sui, fautorem commendat. Ego tamen in hoc haud parum à Communi hypothesi abluens, cum hanc spirituum prolem usquàm admiserim, ideo nec ab eorundem rotatione, nec à fluidorum in angustis nimis eccepha-lon meandris ceu impossibili vortice, sed ab intercepto duntaxat, nedum ad Caput sed reliquas ad alias extremitates, quare nutant pedes, tremunt manus, titubant artus, tinniunt Aures, caligant oculi, mensque ipsa vacillat, Cruoris influxu, Verti inem deduco, nam cum hæc haud infimus Apoplexiæ gradus sit, si hæc, cum *Magno Coo*, & Doctissimo *Baile*, qui haud spartam perfectissime ornavit à solâ sanguinis sufflamine, sic ut ad sensuum organa expandi nequeat, procedat, vertigo pariter ceu ejusdem prodroma, ab hac eadem pendeat, quod inde Verticosus motus accedat est, quod cum sanguis non pleno agminæ, sed lentè sanguifera Vasa trajiciat



15  
non solidum, sed trepidantem motum producit, quemadmodum cum quis ex alto prospiciens ob metum quo unà cum sanguine ad interiora Anima revocatur, absque eo quod aliquid intus, spiritus in vorticem agat, vertiginosus tamen efficitur, quod indè luculenter evincit sanatio, quæ à volatilifantibus, cruorique debitam expansionem conciliantibus præsiidiis obtinetur.

In hoc tamen cum Dominatione tuâ convenio, quod sanguinis missionem nedum ut inutilem, sed & exitialem prorsus rejiciam, non quod immediatè necem adducat, sed quia cum ex *Celsi* sententiâ in Apoplexiâ, aut sanet, aut jugulet in Vertigine, quæ per me in quoata Apoplexia est, & plerumque in debilibus, Valetudinariis, & senibus contingat, plus per consequens obesse, quàm prodesse arbitrarer, & licet *Galenus* suis cum Affeclis mirabiles curationes ex sanguinis missione (quarum fides apud Auctores) ostentet mirabiliores tamen præstasse, si citra hujuscæ nectaris effusionem, nobilissimis præsiidiis è Neotericorum pyrotechniis petitis usus fuisset & quamvis Pavonis sterco celebre in hoc morbo præsidium, eo quod ullam sensibilem operationem moliatur, contemnat, ex analis ejusdem imperitia procedit, nam cum sterco hoc, imò omnia alia (quod *Galenus* minimè latuit cum Caninum, imò humanum etiam in Anginâ tantoperè commendat) sale volatili turgidissima sint ad pituitæ crassitiem, & lentorem, vaporesque ut cum *Martino* loquar discutiendos, nil magis conducet, quia cum non pituitæ copia, sed lentor, non pletora per nos, sed cruoris segnities in Vertigine se offerat non purgantibus, & phlebotomiis, sed volatilifantibus occurrendum esse deduco.

In affectibus soporosis, ferre non valet, quod somnum à causâ calidâ potius quàm frigida deducas, & tamen autopfia stultorum magistra remonstrat quod estivo tempore etiam latrante furius facilius meridianis, quam nocturnis horis requiescimus, imò hyemali tempestate, quamdiù algemus, somno indulgere non possumus, porro post valida exercitia importunos labores, cum Corpus agitatum calefactumque mirabiliter est, ad somnum facilissimè disponitur. Obiter Vina generosa, eorundem spiritus aliique liquores aromatibus conditi facilius ad somnum, quàm oligofora, tenuia, vapidâ aliæque potiones refrigerantes disponunt, quemadmodum alimenta



alimenta euehima, eupepta, condimenta, embammata, omniaque pingua, & sic Bacchanalibus feriis cum opimis Carnibus, probisque ferculis indulgemus, longè melius, quam quadragesimali tempore, cum leguminibus, oleribus, fructibus, consimilibusque aliis eduliis farcimur, stertimus, quidni melius ut obdormiamus Caput ipsum Cucufis, birretis, aliisque, tegumentis, ad ambientis frigiditatem arcendam non solum Noctū, sed diū, non hyeme tantum, sed & estate, imò horis calidioribus, ut sunt meridianæ, munire solemus Verbo ut ipse profers, granum unum, aut alterum laudani opiatī, aut sulphuris hypnotici, quæ omnium spagyricorum calculo calida sunt somnum citius, quam Amphora Aquæ, aut Nivis libra quæ algidissima sunt invitant, imò in lethargo ubi ex Galenistarum sententia Cerebrum inflammatione mulctatur, inexpugnabilis dormiendi necessitas pro pathognomonico accedit.

Fit ergo somnus per nos ex sanguinis motu, ob advenientis chyli particulas plus justo incrassantes, retardato, quæ inde siue calidæ siue frigidæ sint parum conducit, ast quia calidæ citius frigidæ verò segnius distribuuntur, hinc ex illis facilius cruoris massā saturata micaciones in sensuum organa (unde somnus) retardat. in delassatis porro languidis & extenuatis, & elasticarum particularum defectum, cruore inertī, & deside effecto, somnus contingit. Ursi, Taxi, & Marmotæ, quia ob nimiam pinguedinem, rigidæ, atmosferæ pressionem, & diapneusticæ carentiam, compressis nimis & arctatis sanguiferis vasis liber cruoris cursus intercipitur, donec somni, Aërisque accedente tepore, pinguedine ex parte eliquata & absorpta, vasorumque ablata pressione, naturalis fluidorum motus integretur, evigilare (salvo semper meliori scrutinio) non possunt, & Nenix sunt quod pinguedo, quia frigida, & humida soporem inducat, nam cum pingua ob sulphur & oleum quibus maximè turgent flammam facile admittant & foveant, hinc ad Catarrhos dictos, Scirrhus tumores frigidos, Nervorum impotentias mirè conducant, non frigore sed calore, (ut cum Galenicis loquar) hoc præstare arbitraret, & licet Hippocrates, Galenus, Aëtius, cum reliquo, ut ait, Antiquorum Cetu contrarium supponant, cum in aliis quamplurimis aberraverint in hoc pariter si veritatis culmen minimè tetigerint

mirum



mirum non est, nam cum Homines fuerint, & fallere, & falli peroptimè poterant, cum solius Dei sit nec fallere nec falli.

Demum quod Anatomem manu propriâ haud exercueris Religiosus Status in quo vivis obstare videtur, quod ipsam verò minimè calleas, Automatis Humani theoria, quâ Chirurgica tua trutina instruitur, contrarium clarè remonstrat. Quod inde Cerebrum pituita onustum, nec Auctoris nomen citaveris, fieri potuit quod cum hæc apud *Vesalium*, *Tulpium*, *Kerchringium*, *Schenchium*, *Bonetum*, &c. undique præstent, de hiis, ceu nimis tritis, imò Lippis, & Tonforibus novissimis porro differere tædiosum duxeris, miror tamen, Solertissimum *Martinum* qui Catonem profitetur, hæc minimè advertisse.

Theoria de Catarrhis, tam cariosa, & mucida est, ut non nisi derisui, in tantâ Anatomes peritiâ deservire queat, & si *Martinus* à profundis suis lucubrationibus tantum otii impetrare posset, ut *Helmontii* de Catarrhis deliramenta, vel *Schneideri*, de osse Cribri & Cuneiformi tractatum, aut *Gladbachii* Therapiam consulere posset, quam malè de excrementorum Cerebro per Nares, & Os, somniata Catarrhope, & de vaporum à partibus inferioribus, & maximè per regias Galenistarum vias anarrophe sentiat, peroptimè edisceret. Præterea veniæ illæ, quas de Cerebri refrigeratione cum denudatum Caput, Aëris injuriis exponitur, adducit, cum etiam pede nudato contingat, spontè conciderent. Sicuti deficiente igne, vaporum illorum immaterialium, qui inaudita metamorphosi, materialem postea in laticem ( miror tamen quomodo sine mulcta, hoc laticis nomen quo passim abutitur, cum inter Galeni frases, haud reperiatur à Salernitano Collegio impetrare potuerit, ) facessunt supra caput est, secus in Caulo ubi calor immensum intenditur miserabile Eccephalon universæ machinæ vapores, ceu cucurbita ( ut ait ) destillatoria excipere coactum eosdem contra autopsiam copiosissimos in imbres destillare deberet, eoque magis cum nedum hæc febris sed reliquæ aliæ (illis putridæ nuncupatæ ) ferè omnes *Galenæ* vota, ex pororum constipatione ortum ducant.

Ex quibus indè fontibus Catarrhus derivetur, Clarissimorum *Stenonis*, & *Nuck tractatus de ductibus salivalibus*, & *de Adenibus*, non ab Eccephalon per imaginarias suas vias, sed à toto per arterias in in proprios ductus elutriari digito ostendent, quibus Doctissimis Na-



turæ mistis *Martinum* remittens, quam crassa, & insulsa sua sit Theoria, jam tandem ediscet, hinc quam perperam tuas Theses expungat, non sine pudore deprehendet.

In Anginæ Pathologiâ licet Censorem pariter agat, tamen nedum censura, sed scutica dignus incedit, Nam cum à differentiis statim ordiatur, à verâ methodo, quæ quid nominis primò, mox quid rei, tandem differentias importat prorsus abludit, undè cum Tyronibus plenum hujuscæ Affectûs tractatum polliceatur, eos potius cum Præceptore errare, quàm benè sentire docet, & maximè cum Anginam aliasque omnes inflammationes ex liberali sanguinis affluxu fieri reponat; Nam cum sanguis nisi impellatur, plus justo fluere nequeat, à quâ nam parte ( dum circularem ejusdem motum per cordis impulsu negat ) urgeatur, exponere debet, non à Cerebro, quia cum Caput per ipsum Metropolis pituitæ sit, tantum per consequens cruoris admittere nequit, ut ipsum ceu molestum excutere necesse habeat, porrò cum Cerebrum communi Medicorum suffragio insensibile sit, à sanguinis molestiis, quas minimè sentit extricari opus non habet, prætereà si sanguis, aut insensus alius latex, in Cerebro urgeret, facilius per supposita Narium, Palatique emunctoria exiret, vel si forte eorundem porulos trannare nequiret, ibidem restagnans, Coryzam, aut Branchum induceret, quod si inde ab Hepate tanquam hematoseos officina impelli regerat, cum Hepar ceu Parenchyma ( ut per ipsos audit ) fibris destitutum sit, Transversis per consequens, quibus superfluum cruorem repellat, minimè gaudet. Si demùm naturali motu pro partium nutritione ferri contendat, quem nos per circularem agnoscimus, vel à parte affectâ, & dolente trahi reponat, jam vanum est subterfugium, nam progressivo motu admissio sufficit ut aliqua remora vel in extremitate vel in viâ sive per compressionem, sive per coagulationem occurrens motum impediat, sic ut ab alio à tergo etiam moderatè veniente impulsus, nedum vasa distendet, sed & eisdem quandoque apertis ut in Pleuropneumoniâ è propriis Alveolis exire consuescat.

Hoc modo inflammationes fieri evincunt spina infixa, articuli luxatio, ligatura fortis, contusio, compressio, &c. quæ citra majorem sanguinis affluxum, sensim & sine sensu vasa comprimendo, obturando, contrahendo, inflammationes seu melius cruoris stagnationes produ-



producent, sic pariter à principio intrinseco salibus scilicet acidis, & austeris quorum munus est coagulare quum ob eorundem luxuriam sanguis plus justo incrassatur, ut per exiles vasorum meandros liberè circuire non possit, ibidem sufflaminatus phlegmonis occasio efficitur, unde in inflammatione non quatenus nimis fluit, sed quatenus ibi detinetur, sanguis concurrit.

Plethoram indè tam ad vasa quam ad vires (si datur quod non credo) in inflammationibus ferè semper accedere falsissimum est, nam cum in Tabidis senibus valetudinariis, languidis, & convalescentibus haud rarò contingant ex plethorâ ortum ducere asserere non valet, nisi per plethoram ad vires, summum languorem, & prostrationem quæ plethoræ sanguinis boni redundantiam semper importanti, ex diametro opponitur, sentire velit. Pari modo de malignâ anginâ audiendum, nam cum utraque inflammatio sit, totumque vitium in stagnatione consistat, quæ in benignâ æquè ac malignâ à salibus acido-austeris, plus minus cogentibus contingit, hoc discrimine tantum, quod in benignâ ob mitiorem salium indolem faciliior, in malignâ difficilior sit dissolutio, idèò quo ad causam, tam in illâ, quàm in istâ, præter magis, & minus, nil abditî intervenire, manifestè deducitur, & cum Aluminosorum salium sit coagulare, Ammoniacorum dissolvere, Arsenicalium, & Vitriolorum mortificare, & adurare, sic si simplex fuerit inflammatio, Aluminosos, si largæ hæmorrhagiæ, Alui fluxus, Ephidroses, Ammoniacos, si Estiomenes, Anthraces, Ulcera &c. Arsenicales & Stigias, absque eo quod ad ignorantie axilum cum *Martino* deveniatur in causâ adesse demonstrativè & à priori deducitur. Ita pariter cur Tarantula ad saltus, & choreas disponat, est quod cum miasma exoticum, & irregulare, per Tarantulæ morsum vel in cruoris vel succi (si mavis) nervei sinum circulationis ergo resorptum, per armonicas aëris vibrationes expergefatum post quandam ovationem, & tripudium in iisdem fluidis inductum, ubi coxarum & crurum motrices præsertim musculorum fibras, quibus cum symboleitatem fortè non servat, irregularibus angulis in transitu jectigaverit spasmodicas contractiones in iisdem producat, pro molesti excussione ad saltus & choreas Patientes indè compellit. Hoc modo pariter peculiæ fieri caducos sentiendum, nam cum exoticum, & irregulare hoc



miasma machinæ nostræ diversimodè juxta pororum configuratio-  
nem investire queat, sic pro partis affectæ indole varia emergere  
phænomena haud rarò non sine stupore videmus, sic alios ridere,  
alios flere, canere, sedere, currere, tremere, etiam citra mentis per-  
turbationem contingit, & credat mihi *Doctissimus Martinus* quod Ta-  
rantulæ venenum sic peculiare non est, quod unica saltatione curari  
poscat, nam quemadmodum Epilepsia ad quam Tarantismus re-  
ducitur, probis diaphoreticis plerumque concedit, ita, & Taran-  
tismus, si demorsus, ob pedum, crurumque vitium saltare nequiret,  
diaphoresi pariter, licèt non sic facilè fortè, ac choreis decederet.  
Sicut, & epilepticus si saltibus, & choreis ad sudoris eruptionem  
urgeretur sanari, probabiliter posset.

Hisce pro modiolò expressis jam liquet pro curatione, venæse-  
ctionem parum aut nihil tribuere, etenim cum sanguis in Anginâ,  
quemadmodum in reliquis inflammationibus, non nisi prout suffla-  
minatus concurrat, jam ad id cujus causa contigit sufflaminatio,  
curantis consilium dirigendum, atqui cum sales acida austeri vel in  
sanguine, vel in aliis fluidis luxuriantes hoc effecerint, idè in eo-  
rundem cicurationem, curationis nervus intendendus est, & quia  
Alkalicis tam fixis quam volatilibus ritè tamen paratis facilè hoc  
obtinetur, in quem finem *Galenus* in Anginæ curatione stercus Ca-  
ninum album scilicet græcum, summoperè affert, idè hisce potius  
quam irritis phlebotomiis procedendum, eoque magis, cum mali-  
gnâ in Anginâ ubi longè majus periculum adest, etiam ex *Martini*  
sententiâ, curatio peroptimè citra phlebotomiam explosi queat, un-  
dè si majus periculum sive sanguinis minimè averti potest cur mi-  
nus pariter declinari nequeat, non video.

Revulsio inde, & derivatio, à sanguinis motu, & vasorum stru-  
cturâ, quidquid *Martinus* obganiat, satis superque refelluntur, quo-  
ad eventationem inde quam liquorum conservationi conferre pro-  
fert, falsissimum est quandiù enim vasa plena sunt, fermentationis  
molestiam minimè sentiunt, ast ex parte inanita, sic, ut materiæ  
subtili additus concedatur ex vino Vapam, ex ejusdem spiritu aliis-  
que liquoribus fermentescibilibus flegmam fieri, in nostris regioni-  
bus stultorum Magistra ferè remonstrat.

Quod indè venæsectio refrigeret? qui fit ut post largas hæmor-  
rhagias



rhagias, Cachexias, Hydropes, quarum pedissequa semper est, febris accedat? Si febrilis ignis adfuisset extingui, non accendi debuisset.

Nutrientium *Clysterium* opinio aptissimè à Dominatione tuâ convellitur, & maximè datâ *Martini* hypothefi, ubi ex chylo sanguinem, ex sanguine inde duntaxat, corpori nutrimentum accedere, pro rato tenet, si ergo ex chylo sanguis, chylus inde, non nisi per ipsum à ventriculi calore laboratur, quomodo clyster in intestinis, & maximè crassis, ultra quæ coli valvula scandere vetat, in chylum, mox Epatis beneficio in sanguinem, pro corporis nutrimento mutabitur? Si cum Doctissimo *Entio*, Dominatione tuâ, aliisque Clarissimis Poliatis non ex sanguine, sed ex puriori, magisque volatili alimentorum portione, corpus nutrirî permitteret, plausibilis adhuc nutrientium *Clysterium* foret opinio, ast in mucidâ suâ hypothefi, locum habere non potest.

Disputatio de Pleuritide, & Peripneumoniâ de nomine, seu de Lanâ Caprinâ tantummodo est, nam cum tam pleuritis, & peripneumoniâ, quàm reliquæ aliæ inflammationes, à parte affectâ denominationem sumant, Pleura ut inflammari queat probare, non autem supponere debet, tanto magis cum sanguis, qui per ipsum Pleuritidis pathognomonicon audit per quam viam excreavit tam facile remonstrari non valeat.

Quod verò in ejusdem curatione solis diaphoreticis contentus venæsectionem repudies summâ cum ratione procedere videris, nam cum ut suprâ innuimus, ad Pleuropneumoniam, aliasque omnes inflammationes cruori non ut magis fluit, sed ut in suo motu præpeditur, concurrat, jam non ad sanguinis copiam, sed ad obicem duntaxat curationem dirigendam esse sat liquet, qui inde quia, vel fibras contrahendo, vel sanguinem incrassando procedit ideo probis Alkalicis, & maximè volatilibus (ut sunt Elixir proprietatis, Spiritus vini Camphoratus, Cornu Cervi, fuliginis, Salis ammoniaci, qui congruis liquoribus propinati utramque paginam absolvunt) curatio expleri potest.

Quod aliquis inde hac methodo pertractatus intereat, haud mirum, nam cum pretiosissima illa herba, *Pusu*, Indis dicta, quæ homines immortales reddere solet, ad nos hætenus non navigaverit, omnes per consequens servari non possunt, ast quod non obstante



*Martini* revulsione, derivatione &c. tantus pleuriticorum numerus occumbat, mirari quidem debemus, sed quia Mundus semper decipi cupit, hinc est ut horum de natorum numero, ceu nimis familiari posthabito, eos tantummodo qui moderno (ut aiunt stylo tractantur utut exiguissimi sint) insectentur. Quasi quod decrepita præsidiarum farago minimè præstat, surgentis mox è crepundiis therapia semper obtinere debeat.

Quod dictum de anginâ, & pleuritide, de reliquis inflammationibus, quacumque in parte succreverint, intelligendum venit, nam sanguinis copia, & major ejusdem concursus, cum eodem ferè modo, nisi à causâ procatharticâ perturbetur, semper gradiatur, culpari non debent, imò quum velocius, ut magnis in febribus, moveri supponitur tardiori pede tunc progredi evincit pulsus celeritas, in hunc finem ne sanguis in Cordis specu cum vitæ jacturâ concreseat, instituta, undè plusquam decet ad partem affectam concurrere non est dicendum, sed si ibi hæret, aut per vasorum compressionem, distortionem, & angustiam vel sanguinis concretionem lentorem & desidiâ contingit, quare tantum abest, ut qui fluxit, & fuit Plateæ expugnationem, ceu hostis intenter, quidni, ut eam tueri, alere, fovereque queat, ingressum, benignus ut hospes duntaxat affectet.

Dum Asthmatis causas recenset, stupet, quod incoctam chyli portionem in Cerebro ultimum complementum minimè passam, Regiamque Palladis areem inter Culinas reponas, sed cachinno dignus est ipse, qui per quas vias Alibilis succus ad Eccephalon deferatur insimulans pituitam inde quæ per Galenistas nil aliud, quam incoctus sanguis habetur, tam facilè ad illud ascendere, ut in eo ceu propriâ in Metropoli resideat, opinatur, per hanc ergo eandem viam per quam somniata pituita sua, Cerebrum appellit, chylum pariter deferri non abs re foret asserere, neque novum esset, in ejusdem complementum, aliquid tribuere cum per ipsum dum Vitales spiritus in Animales transmutat, propriæ dignitatis immemor, Coquinæ, imò fumosæ, quo spiritus ad vaporem, & fumum magis accedunt, munus haud respuat.

De Phthisi, mucidam de Capitis destillatione sententiam adducens, Neotericos de ignaviâ & pertinaciâ temerè accusat. Nam si  
Clariss



Clarissimorum *Le Clerc, & Mangeti* Bibliothecam Anatomicam, in eâque tot illustres Viros, qui in humani Automatis structuram insudârunt, eamque tot gloriosissimis inventis à Capite ad Calcem nedum reformârunt, sed locupletârunt. Porro Solertissimum *Schneiderum* de osse cribri, & cuneiformi, qui fluxionis hujusce impossibilitatem digito remonstrat evoluisse, pudore suffusus se ipsum cum suis Assedlis, qui non nisi alienis conceptibus Psitacorum ritu edificere novit, de inertia & torpore summo jure culparet. Si enim viæ tam hiulcæ & patentes ut falsò opinatur adessent facilissimo negotio in hydrocephalis aqua, quâ datâ portâ rueret, & in capitis percussionibus ad cruoris extravasati, purisque educationem Cranii terebratione opus minimè foret, Adeat ergo prædictum Dominum *Schneiderum*, & ibi quâ viâ suppositæ fluxiones sive Cerebri impuritates elutrientur, facile ediscet, quod verò Capiti adhibitis præfidiis quandoque sistantur, haud mirum, nam etiam plantis pedum, manuumque Carpis ubi magna vasa periaptorum effluvia admittere queunt fluxiones dictas sisti, & ipsæ mulierculæ norunt.

In cordis palpitatione scilicet, syncope, & lipothymia, quod intemperies minimè admittas haud parum miratur, & tamen dum exemplo *Benivenii, Fernelii, Boneti, & Tulpii* easdem probare nititur, remonstrando concretiones excrementitias, & polipodeas, frigidâ ab intemperie natalia ducere, se ipsum ridiculum præstat. Qui enim fieri potest, ut in corpore vivente, imò in corde (per ipsos) caloris fucina tanta, possit dari frigiditas, ut dimissa Pericardii lymphæ, quam in glaciem facile vertere deberet, sanguinem inde ipsum, in *Tophos*, & *polypos* congelet, sed cachinno hæc digna sunt, & maximè pro earundem curatione sanguinis missio, quâ, cum per ipsos nil magis refrigeret, in suppositâ hac aligidâ cordis discrasia competere posse, ferre haud erubescunt.

In libro tertio ubi chyli necessitatem, pro corporis nutrimento adducit, ejusdem insufficientiam clarè remonstrat, nam cum admittat, corporis instaurationem subtilioribus ab alimentis particulis, ante comptosam chyli elaborationem fieri posse, cur eodem pariter modo in integrum restaurari recusat? Etenim cum chyli elaboratio præter quam gratis, (ut ipse reponis) Ventriculo adscribitur, cum nusquam, nisi fortè, in Tabidis, Hecticis, Arthriticis, & Pueris, qui



qui lacte vescuntur in conspectum venerit, aut in ventriculo non fieri, aut proportionem quâ fit in lacteas intrudi necessum erit. Porro cum in Equis ab assumptâ avenâ, quam integram paulò post excernunt, vires tamen sic instaurantur, ut continuando itineri sufficientissimæ sint, vel tenuiorem avenæ portionem pro nutrimento sufficere, vel crassiorem chylo haud destinari facillè deducitur.

Liquor ille, qui in Galaxiâ deprehenditur ab aliquibus pro lymphâ habetur quemadmodum, & vasa lactea, à lymphaticis minimè differre, ab aliis, inter quos *Martinus* suspicatur, si ergo corporis instauratis absque previo chylo per ipsum obtineri potest cur tantoperè desideretur, non capio & per me nullus dubito, quin serosus latex, qui in lacteis, vel lymphaticis si mavis, aut Meseraicis conspicitur, chyli, phlegmatis, lymphæ &c. nomine insignibus, non corporis nutritioni, sed aliis præstantissimis usibus ut ciborum masticationi, per œsophagum descensui, faucium, & laryngis pro vocis modulatione irrigationi, Chyloseos dictæ fermentationi, bilis, succi pancreatici, & gastrici reparationi, Pericardii lymphæ, Artuum synovix, cruoris seri ad ciendam ejusdem choream, instauratiōi deserviat, quorum eorum materia, quia non nisi à fluidiori assumptorum portione attendi potest, hinc post resorptam in corporis alimentum subtiliorem & volatiliorem substantiam, reliquum ceu phlegma aliis usibus ut porro notavimus destinatum, in lactea vasa non per hiantes ventriculos poros, (nam cum præter Dominationem tuam, alii quamplurimi, quos inter *Linæus* *Leuvuenhoeck* in suis de arcanis naturæ observationibus qui in horum detectionem strenuissime desudavit, hos minimè admittant, sed per filtrationem cum *Clarissimo Entio*, aut per penetrationem cum *Glissonio*, qui utut in corporis peripheriâ poros pariter non admittat sudorem erumpere affirmat). E ventriculo in galaxiam, medio motu peristaltico, quo ventriculus equè, ac intestinalis spiralem fibrarum beneficio gaudet, impelli, non ab Epate ut sentit *Martinus* trahi, quod cum ceu parenchyma per ipsum, omni fibrarum ordine destitutum sit, ut trahere queat tam facillè explicari nequit.

Nùm indè ventriculi coctio per elixationem, nùm per fermentationem fiat, *Viridetum* qui hanc spartam mirabiliter ornavit consilere posset, nam cum *Leo* ut reponit strutione calidior ferrum non digerat



digerat Taurus Cane validior ossa non conterat, non calorem, sed peculiare fermentum requiri sufficienter evincit. Porro si elixatio ad chylosim, ut supponit requireretur, cum liquor elixandus talem concipere habeat calorem ut in ferculis, quæ elixantur deprehenditur, cur ventriculi tunicæ, & præsertim interior non elixetur non video, non ita de fermentatione sentiendum in qua utur ebullitio contingat, tamen quia non à particulis igneis, sed fermentativis duntaxat efficitur, idèd calor si quis adest talis non est, ut in vino, cerevisiâ &c. quin sine molestiâ peroptimè tractari queat, imò herbarum succos citra calorem fermentari autopsiâ demonstrat, & licet ventriculus ad hoc symbolum conferre videatur, tamen ejusdem humiditati potius (ut Criptis aliisque locis subterraneis in quibus fermentationes felicius succedunt) quam calori tribuendum venit, coque magis cum ventriculus ut pars spermatica, & per consequens ex Galenicorum sententiâ exsanguis, & frigida tantum caloris impertiri nequeat, quantum ad elixationem promovendam exigitur.

Vas breve ad ventriculi capacitatem nihil deducere oculari inspectione qua ejusdem hiatus minimè cernitur satis evincitur. Porro cum melancholicus humor dictus qui in ventriculi fundum pro appetentiâ excitandâ eructari credulè nimis rebatur, ens rationis merissimum sit, cum in liene frustra inquiratur, ejusdem jam vasis usum commentum pariter esse cum Dominatione tuâ sentire liquet, aliquid verò, vas illud (ut tale non sit ut Antiquis audiebat, sed funiculus potius arteriis, venisque constructus) ad ventriculolum deferre pro ejus fotu, vel (secundum sententiam illorum, qui sanguinem nutrire nolunt) alimenta certissimum est, & sic ad ventriculolum non humorem melancholicum, sed succum alibilem derivari peroptimè sentis.

Quæ de Bulimo profert meræ sunt nugæ Pueris, & Mulierculis sub Camino fundendæ. Arbitrabar sanè ipsum, in frigoris diaphoresi, quæ communi Medicorum hypothesei adversatur, confutanda, totum occupatum iri, ast cum de hoc nè verbum quidem, ejusdem supinitatem mirari non possum, tanto magis cum Pedagogum Tyronibus agens, quasi ventriculi actio, non ex necessitate, sed ex consilio procederet, in ejusdem facultate recensenda totus impenditur.

De picâ, & malaciâ, non nisi externæ cænæ reliquia, & frigida



tercula opponit, in eo verò quod te urget, æxoticam humorum, phantasiâ stultè, imperantem pro causâ reposuisse! ignorat *Martinus* quod in rerum explanatione, melius semper est ad sensibiles, & manifestas, quam ad abditas, & occultas, (ut ipse audit) causas confugere, Phantasiâ enim in hoc casu pro humorum, vel si mavis fermenti ventriculi textura, qua œsophagi fibrillæ diversimodè jectigatæ, hanc, vel illam ideam in Animâ imprimunt, sic ut hoc vel illud expetet alimentum à Dominatione tuâ sumi arbitrarer, quare in hoc sensu phantastica humorum dispositio non malè sed peroptimè sonat.

Causa verò cur in prægnantibus rei appetitæ imò quandoque, & exosæ stigma, contacta in parte imprimatur à Dominatione tuâ luculentissimè exponitur, (si tamen liceret) adderem, quod cum Parentis idea, tota in foetus formatione absorpta sit, motiones, quas in in proprio, in foetus pariter corpore exercet, & quia foetus, ob molitiem, & teneritudinem impressiones faciliè admittit, & retinet, hinc expetitæ, vel exosæ rei character, qui in contactâ Matris particulâ ob duritiem imprimi nequit, in foetu faciliè recipitur.

Quod autem, temporibus, quibus fructus adolefcunt, in foetus stigmate pariter surgeant, & crescant, sit quod Atmosphæra tunc temporis dictorum fructuum efluviiis saginata, in foetus stigmate poros iisdem recipiendis aptatos inveniens; ut crescant, rubescant, atque maturent, sufficiens vectigal elargitur, & hoc modo res explicata, quia mentem sciendi cupidam sufficienter erudit, idè huic magis, quam ineffabili, *Martini*, acquiesci posse censerem.

Pro curatione, Rosæ Cantilena pessimè sonat, nam cum affectus isti mulieribus ferè semper, quibus hystericae passionès dictæ faciliè à rosâ excitantur, contingant, miror cum tot alia jucundissima pharmaca, quæ stomachum haud subvertendo suavissimè purgant innotuerint, putido, & insuavi huic syrupo palinodian canere adhuc sustineat.

De siti Theoriâ, non secus, ac doctrina insipida est, nam dum saltem microscomicum, cujus existentiam, nedum gustus ipse, sed Vulcanus clarè demonstrat, *Martinus* negare contendit, quantum à vero abludat rerum analifis satis superque explanat. Salsedo etenim, quæ in salivâ, sero, Lotio, sudore &c. deprehenditur, cum non adhuc experti



perti ignis soboles audiat, ejusdem existentiam luculenter evincit, & taliter ut spagyrici jugi corporum analifi edocti, Peripateticorum Elementis posthabitis, Sali Sulphuri, & Mercurio, rerum naturalium genesis tribuerint, & reverà si Vulcanus qui non nisi destruere novit, quomodo Salem producet, si ejusdem amplexus Cane pejus, & Angue devitans etiam ad levem ignis contactum ceu hostis infensissimus statim crepitando discedit. Porro si alimenta quæ sumimus sunt sale ferè conspersa, si iisdem constamus, quibus nutri- mur, quomodo sine sale esse poterimus; imò ejusdem tanto urget necessitas, ut optimâ cum ratione enunciaveris, sine sale vivere impossibile velut haberi, & quamvis aliqui sine sale, quia eodem nimis onusti, ut Phthisici, Hectici, & Hydropici vivant, majoris mali, non oblectamenti causa, hoc præstant, Bruta ipsa quia fercula hætenus parare minimè norunt, ideò solis herbis contenta vitam ducunt, non ita tamen, quin si ad salem extremis labiis quandoque accedere contingat, ut in Equis, Bovibus, Ovibus, Capris, &c. eodem avidissimè non vescantur. Flandri verò, & Compatries illi, quos sine sale *Martinus* vivere ostentat, vel ob inopiam quâ hunc sibi comparare non possunt, vel quia marinas oras incolentes, ubi alimenta sapidissima sunt, vel aër salinis particulis onustus haufitur, ideò per aliquod tempus, sine sale erumnosam vitam perducunt, saccharum inde salis speciem pariter esse spagyrica evincit, quæ ab eodem, haud secus, ac à sale marino ardentem, & corrosivum spiritum elicere novit, hujuscæ ergo salis tantummodò causa, si quando ejusdem spicula haud sufficienti liquore diluta, inquilinis etiam partibus, ut sunt guttur & fauces, rigiditate, molesta fiunt, sitis exoritur, tandiù inde perseverans, quandiù congruo liquore diluta, retusa, molliæque evaserint, quod indè quia in Tabe, Hydrope, & causa tam facilè impetrari nequit, ideò *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*, quod non contingeret, si per solam humectationem sitis auferri valeret, & quia salium spiculis excretoria salivalium glandularum vascula in spasmus contracta serosi laticis iter, ad fauces precludunt, hinc exorra faucium ariditas, humiditatis defectu sitim insinuat, quum reverà salinorum duntaxat spiculorum rigiditate contingat, quibus inde levi, vel foris, vel intus, accedente madore retusis, atque dilutis spontè etiam, ut in dormientibus, vel alio distractis sitis



molestia haud rarò sedari consuevit, quod minimè fieret, nisi circulationis lege per arterias ad glandulas, ductusque salivales (non autem per credulam Cerebri fluxionem) lymphæ deducta, salium rigiditatem, indeque ortam vasorum contractionem auferret, ex hoc pariter luculenter deducitur, cur in dysenteriâ & causo sitis accedat, nam in causo serosus latex velut absorptus, in dysenteriâ verò profusus, cum microscomicum salem sufficienter non diluat, ejusdem rigiditati, quâ fauces indè stimulantur, sitis occasionem ministrat, undè quamvis circulatio perennet, lymphæ tamen inopia quia ductus salivales consueto tributo fraudantur salibus rigidioribus magis affectis sitis intenditur, in hunc finem singulis momentis experimur ex simplici papyri, alijsq; rei etiam solidæ, quâ serum ad fauces allicitur masticatione, sitim quæ largis liquoribus minimè cesserat sedari, & quia salium spicula vini spiritus strenuissimè infringit, unde salis, sulphuris, Nitri acerrimus spiritus, cum vini alkohol circulatus dulcis evadit, idè spiritum vini debitè tamen, decentique vehiculo propinatum haud sine ratione commendas, verum enim verò quia nil promptius nilque facilius salem dissolvit quàm aqua, idè aquæ encomiis, non quatenus humectat, sed diluit, sitis tractatum absolvis.

De Cardialgiâ, inconstantia te accusat, quod cum Animam, jam suprà in Cerebro reposueris, mox tui immemor eandem in Ventriculo velis, & de facto si substantia spiritualis alicujus ubicatōnis capax adesset, in hac parte potius, ubi vegetabilitatis munia ad humani automatis sustentationem simpliciter necessaria exercet, & quâ læsâ tantum non vita vacillat, quam in alterâ locari deberet, nam cum suprà innuimus functiones Principes dictas, in Cerebro, naturales verò in ventriculo exequatur, vel in hisce duabus, vel in harum altera constitui posse videtur. Reliqua indè quæ hic profert, ut situm olentia attingenda vix sunt, & præsertim quæ de stomacho, & putido syrupo rosarum profert, quo, ut supra innuimus, cum innumera suaviora, & præstantiora innotuerint, miror quomodo turpi hoc præsidio ægrorum palatum adhuc audeat conspurcare.

De Nauseâ, & Vomitu, quid per suppositum *Vivens*, quod *noxam ab humore irritante recipiens, fibras transversales corrugat, & subvertit organum ad expellendum noxium*, intelligat, libentissimè audirem



rem, si fortè cum impetum faciente Dominationis tuæ, aut *Helmon-  
ti* indignatione Archæi coincidat, nam si sic esset, cum hæc irri-  
deat, cur Vivens pariter suum irrideri haud mereatur, Philiatris  
proponitur.

Pro Cholerae Coronide, ubi Neotericos ut gratis, atque ju-  
cundis suis præfidiis dimissis ad syrupi Nicolai usum, hortatur, si-  
pinam suam nimis profert inscitiam. Quis enim tam stolidus est,  
qui frugibus inventis glandibus (porcorum pabulo) adhuc vesci su-  
stineat? Ignoscat illi Deus, præsertim cum apud nos, citra ca-  
tharticum, & emeticum, solo hypnoticorum usui, hæc curatio fe-  
licissimè absolvatur.

In lienteria, & Coeliacâ affectione, Acres Modernorum sales,  
Pylorum intempestivè aperientes, admittit, cur ante debitum tem-  
pus, cibum è Ventriculo exturbando lienteriam pariter excitare ne-  
queant non video, præsertim cum intestinorum fibras vellicando,  
dysenteria, & cholerae producendæ deserviant.

In Diarhœæ, & Dysenteria pathologiâ, tota controversia circa  
pharmacum Compressivum vertit, & reverà, cum compressivum  
hoc pharmacum potius Chimericum sit, quàm reale, cum pur-  
gare, & adstringere ab eodem præsidio, uno eodemque tempore  
impetrari non valeat, ideò non sine ratione à Dominatione tuâ re-  
jicitur. Si enim quod alvus post pharmacum sistatur, sic nuncupa-  
tur, jam omnia medicamenta, & maximè validiora, quæ post-  
quàm debitis icores corpus expoliarunt, per aliquot dies alvum  
in sicco relinquunt, compressiva dici deberent, vel si fortè quia Ca-  
thartica spicula, Ventriculi, Intestinorumque fibras, premendo, &  
comprimendo, superfluos, vel inquilinos icores extorquent, com-  
pressiva dici merentur quælibet cathartica, quia hoc modo ferè ope-  
rantur, compressiva pariter erunt, undè hoc compressivi nomen,  
vel nullis, vel omnibus aptari debet.

Quoad Venæ sectionem, quam in dysenteria ubi plethoricus sit Pa-  
tiens, comendat, ridicula pariter est, qui enim fieri potest, ut in Vase  
undique pervio, undè liquor, ut in nostro casu, nedum excremen-  
titius, sed & nutritivus, ad vasorum etiam inanitionem, sanguine  
non excepto, cui dysenteria nec parcit, jugiter fluit, in tantum  
augeri valeat, ut plethoricam dispositionem inducere queat! &



maximè cum præter dictam evacuationem in humani Automatis reparationem, aliosque præstantissimos usus, in tot fluida jugiter dispensari cogatur, quare si in hoc casu Venæ sectionem ad superos etiam clamando refellis, summo jure procedis, & tanto magis, cum intenta revulsio, stante Circulari sanguinis motu, Vasorumque structura, obtineri non queat.

Ad id ultimò, quod petit, dicerem melius esse intemeratum ulloque modo pollutum Cruorem dimittere, quam Balsamicam ejusdem portionem hauriendo, ad Tabem, Cachexiam, & Hydropem ut passim occurrit, Miseros patientes deducere.

Reliqua ceu nullius momenti lubens omitto, & præsertim quæ de Nicolai, & Rosæ Nectare hariolatur, quorum Calix, sine invidiâ, ut sibi profit æternum præcabor.

Capite de fluxu Epatico, ubi *Galen*i præjudiciis emancipatus, hematoscos munus epari restituere affectat. Laborem sanè suis humeris imparem suscipit, dum enim Anatomes prorsus ignarus, Clarissimos Naturæ Mistos, qui tot gloriosis inventis Orbem Medicum illustrârunt, insultat Histrionem agit (nam *sutor nè ultra Crepitat*,) & de facto ubi chylifera *Aselij* Vasa per intestina & mesenterium dispersa (quæ inde cum à suo *Galeno* perspecta haud fuerint, cur admittat obstupear) prosequitur, partim ad venam portam, partim ad succum lacteum ferri supponit, neq; per hoc epar sanguificare remonstrat, nam cum neque in ramis Venæ portæ, neque in meseraicis chylus appareat, sed sanguine ferè turgidæ sint, vel chylum ad ipsas minime ferri, vel statim ac ipsas ingreditur in sanguinem verti, & sic non epar, sed dictas Venas (& tua esset sententia) sanguificare fatendum.

Nec obstat quod objicit; Oleum scilicèt ab Oleo, Vinum à Vino minimè fieri, nam nemo unquam somniavit, sanguinem, à sanguine propriè elaborari, sed quemadmodum Oleum, Vinum, Cerevisia &c. recens, Veteri affusa perficitur, citiusque maturat, Ita chylus sanguini immixtus, ejusdem motu, & colore, non secus ac Vinum album, rubro commixtum, absque substantiæ mutatione, in purpureum, in quem sponte suâ tendit facile tingitur; Nec ad hoc Vitalis actio requiritur, nam cum, non per coctionem dictam, sed per simplicem mitionem, testuramque inversionem, hoc fiat,  
ideo



ideò non mirum, (cum multi dentur liquores, albæque pultes, ut far, oriza, Amylum, succus Cicorij, Boraginis, Cydoniorum &c. qui ubi nimis densari contingit, ruborem concipiunt) si chyli bubulæ, quæ prius album præbebant, sanguinis pressione & motu compactæ, ruborem insimulent, undè nos Doctissimam Collegam agnoscimus, qui attritis ab alimentis, chylum, ex chylo sanguinem, per solam fermenti injectionem citra ignis torturam, jucundissimo spectaculo parare novit. Nec aliter in suo epate fieri arbitrarer, nam cum de propriâ substantiâ, quàm chylus minimè attingit haud tribuat, sed tantummodò in ejusdem Vasis cruentetur, jam non epar in suâ hypothesi, sed sanguinem in ejusdem vasis contentum sanguificare, non ventriculum, sed ejusdem fermentum (quod inde si portionem præteriti chyli admitteret, non malè sentiret) chylicare, non Cor, non Cerebrum spiritus (si qui dantur) progignere, sed eosdem dumtaxat rectificando perficere deducet.

Sanguinem indè vivere, si ejusdem Creator asservit, negari non debet, porrò si Animæ passiones, Ira puta, Metus, Verecundia, & reliquæ solo sanguinis Iconismo representantur, jam vel sanguinem vivere, vel Animam in eodem nidulari autumandum, eoque magis cum Animalia quo plus sanguinis habent vividiora, quo minus segniora adnotentur. Verbo si ex Doctiss. *Louveri* Experimento, ut alibi innuimus, denegato ad partem Cruoris affluxu, sensu motuque fraudatur, nedùm sanguinem vivere, sed & aliis partes animare fateri cogimur, & licèt Membranæ, fibræ &c. quamvis exangues sensu tamen exquisitissimo præditæ contrarium insimulent, tamen quia sanguine utut pauco, spirituosissimo, summèque Volatili turgidæ incedunt, ideò inopiam, qualitas peroprime compensare valet. Nec obstat quod sanguis, per ipsum, alimentum audiat, nam præterquamquod à sanioribus nostri sæculi Poliattris, impugnatur, cum ab aliis, subtiliori alimenti substantiæ, ab aliis chylo, fero, succo Nerveo &c. hoc munus tribuatur, cum pinguedo, Caro, imò partes etiam solidæ extremâ in inediâ, in Corporis nutimentum concedant, animatas hac de causâ, neque adesse dicendum.

Quod vasa lactea recta ad saccum chylicherum ferri debeant falsissimum



num est, nam cum dicta vasa, ceu Thoracici Trunci radices sint, jam non rectâ sed tortuosâ viâ ut in Arboribus procedere debent, secus tam citò & copiosè ad dictum saccum deferretur chylus, ut & suffocationis & aliarum erumnarum haud rarò occasio fieret.

Porro cum ductus Thoracicus per ipsum, tenuis, & exilis sit, non affatim sed lentè, tum ob disruptionis motum, quin ne dum sinistrum Cordis Thalamum ingreditur, suffocationem inducat, impelli, & progredi debet, in hunc ergò finem phlegma chyli ferum copiosum esse non decuit, nam cum post Corporis instaurationem, excrementorumque *secretionem* quod Corporis in alimentum cedit exiguum sic sit, ut ad *Sanctorii Staticam* appendi vix mereatur, ejusdem per consequens phlegma quod chyli nomine venit, non nisi exiguum pariter esse valebit eoque magis cum *Entii*, *Coles*, aliorum Celeberrimorum Poliatrium in Dominationis tuæ sententiâ, Corpus sanguine haud nutriatur, obiter si chyli portio, quæ Cor appellit, ejusdem instaurationi ex *Martino* inservire potest, cur aliis partibus hoc non continget?

Quod subdit de lactationis tempore, quia chylus ad mammas fertur idèd sanguinem minui gratis dicitur, etenim sive sanguis, sive subtilior alimenti portio, sive sit chylus, hoc semper succedet.

Ad tertium *Bartholini* argumentum ubi venas emulgentes cum lymphaticis, vasis confundit, hoc nunquam *Galenus* ejusque Asselas somniasse eorundem monumenta fatentur, præterea cum emulgentium venarum, cum lymphæ ductibus sit nulla proportio cum isti tenues, illæ Crassi, hi pellucidi, illæ atræ, hi tenuibus ab intestinis &c. illæ à Venâ Cavâ procedant ut sustineri queat obstupear, tantoque Magis cum *Galenus* post tot, ut præter Cadaverum sectiones de iis nè verbum quidem protulerit. Clarissimum demùm *Bartholinum* pro chyli feris lymphatica vasa quandoque appellasse tale non est crimen (quod fortè typis occasione contigerit) ut in linco Poliatro à Cæcâ Talpâ criminari mereatur.

De partium ortu, & primatu litem dirimit Clarissimus *Leuwenhoeck* qui in suis Arcanis Naturæ Masculinum semen ex animalculis actu viventibus constare ad oculum exponens, non partes sed totum Animal omnibus numeris completum priusquam Uterum, aut ovum ingrediatur, jam esse remonstrat, sic ut nulla de novo genera-



generatio, sed Animalis duntaxat explicato, atque nutritio, ut in plantarum gemmis, aut seminibus contingat. Porro si in Galenicâ sententiâ Epatis parenchyma concreto ex sanguine constar, quomodo sine previâ sanguinis in Corde, vel aliâ in parte generatione surescet, tanto magis cum secundo ab incubatu Ovi dic ut notat Clarissimus *Malpighius* ante epatis vestigia punctum saliens sub Cruoris larva micare incipit.

Ad ultimam tandem objectionem, ubi Vasa lactea ad saccum chyli ferum haud ferri contendit cum numerosa nimis sint, parum Anatomes peritum se ostendit, nam quis diceret innumeram fibrarum sobolem, quâ cunctum Corpus conspersum est ex spinali fistulâ Venarum, Arteriarumque satellitium à Venâ Cavâ, Arteriâque magnâ tanquam ramos à Trunco procedere, & tamen Anatomici omnes quibus pro Cerebro fungus non est ita concludunt.

Iliacam passionem non à motu peristaltico inverso, sed ab intestinorum obstructione, vel compressione tantum fieri contendit, & tamen ut fæces induratae tormina, & vomitum inducant in obscuro relinquit cum enim contumacissimæ dentur alui adstrictiones ad plures dies quæ non nisi remediis solvuntur, & ileus non accedat, aliis verò quibus alvus fluidissima est, & superveniat, jam præter obstructionem aliquid aliud quod splenicæ fibras urgendo ad contrarium motum impellat requiri fatendum, hoc enim non nisi irregularium, exoticorumque, salium spicula esse queunt, quæ inde sive ab aëre, sive ab alimentis, sive ab excrementis deriventur dummodo prædictas fibras proritando, facultatem suam expultricem ad motum contrarium, impellant, etiam sine alvi constipatione & Compressione volvulum producere peroptime valent, eoque magis cum apud *Hippocratem* etiam cum alvi fluiditate Iliaca passio contingere queat.

Intestinorum Convolutio ridicula est, nam cum Mesenterio firmissimè adhæreant, & alligentur, non nisi gladio ut à lanionibus separata, intorqueri ullo modo potiuntur.

Ad historiam *Matthæi de Gradibus* quam negare magis quam probare videtur, non mirum cum plus negare Asinus, quam probare

E Philo-



Philosophus possit, & maxime cum re admissa propositio intenta labascit.

De Colicâ, in Clysteribus torus revolvitur, qui inde cum ad-intestinum Colon minime ascendant haud injuria à Dominatio-tione tuâ respuuntur, eoque magis cum solis Alkalicis, hypno-ticis nuptis spicula illa quæ spirales Intestinorum fibras urgendo, ad excretionem cogunt, obtundendo, & mulcendo, Curatio felicissime absolvatur.

In malo hypochondriaco, de Viscerum Antipraxiâ duntaxat lis est, quam dum *Martinus* ceu pro aris, & focis certando sustine-re tentat, dum Epatis calorem tantum intendi ut Omenti pin-guedinem in picrocolis ferè colliquet, miror quomodo ab eliquatâ hac arvinâ, ventriculus ceu Caro in verru minime affetur. Porro cum Acidum stiggium, & esurinum, in Hypochondriacorum ven-triculo semper luxuriat, ut hospes, hic ardens, in regione tam frigida nidulari queat, vix percipi potest.

Humano in Corpore partes seu Viscera equaliter calere, sic ut Cor non magis quam Epar, Pulmo quam Ventriculus, Renes quam lien &c. estuent, ad Termometri lancem in Brutis recenter ma-ctatis experiri potest, undè hæc viscerum antipraxia, ut ignis fatuus evanuit.

In epatis pathologiâ, totum virus contra Neotericos san-guinis circuitus Fautores expuere nititur, & non sine malitiâ, nam cum Galenistarum methodus, ægrorum imò laniena cruoris cho-rea admissa vasorumque prout ad oculum remonstratur structura, sustineri nequeat, idè ad hanc evertendam, Jatricemque ipsam, in aprico feliciter jam constitutam in pristinum chaos (proh sce-lus?) revocandam, Vaser ut miles, etiam sensibus fide ejerata totis viribus contendit, sed quid mucida sua argumenta? ab omnibus facultatibus Gallicana scilicet, Haphniensi, Burgundia, Batavica, Lon-dinensi, Italica, imò Leopoldina, majoribus longè privilegiis, ac dotibus ab Augustissimo Leopoldo, mox regnante Imperatore, ac fuerit quondam Salernitana, ab Inviictissimo Carolo Quinto insi-gnita, ad nauseam jam confutata contra rem tam claram, & sen-sibilem in cujus confirmationem porro nenias contexere pudet, eo-que



que magis cum à Clarissimis *Lovero* Majori *Malpighio*, *Leuwenhoeck* aliisque Naturæ mistis, in Ranis, Piscibus, Pullis, Gallinaceis, Indis &c. ope microscopij sic palam monstretur ut de eâ dubitare de solis luce, foret ambigere, & si Humana Pietas in Viventibus Hominibus hanc experiri haud vetaret, præterquamquod in Venarum, Arteriarumque Sectione (quicquid obstat *Martinus*) conspicua jam est in decorticatis vasis (ut in Brutis) tam nitida foret, ut omnis dubitandi ansa actutum decederet, & quamvis magnum quid super arteriosi, venosique sanguinis differentia ostentare nitatur, tamen vel nulla, vel si quæ est, per accidens duntaxat, & circa exeundi modum contingit, Nam cum sanguis ab Arteriâ cum impetu, & saliendo, à venâ vero lentè paulatimque procedat, fit quod ille ob majorem, quam in nixu patitur rarefactionem copiosioribus lucis radiis admissis splendidior, & rubicundior, quam venosus appareat, cæterum in pelvi exceptus exigua vel nulla differentia intercedit, Nam ego elapsis cum Galenicæ Laniæ navabam Arteriotomia in quadam Hæbreâ, quæ immanissimâ Cephalalgia urgebatur, in Temporibus instituta, sanguine ut ut maxime saliendo exiret in Vase excepto à venoso nil penitus differre conspexi, imò testari candidè possum, è vena extractum rubicundior longè & spirituosior haud semel vidi.

Præterea cum Cruoris motum progressivum, quo ad Cor, hinc ad universam Corporis ditionem, non obstante arteriæ systole qua (ut ait in venam refundi deberet) fertur, admittat, suis speculationibus, inanibus ceu commentis dimissis Autopsiæ stultorum Magistræ facillè concederet, & maxime cum facultatum triga, cui totum trahendi munus concedunt, jam expiraverit, sed quia contradicendi studio veritatem meridiana luce clariorem obscurare nititur, non mirum si contra egregios Poliatros insurgens, ceu Canis ad Lunam oblatret.

Altera petra scandali, est via, per quam sanguis ut circularem suum motum per expediat transire tenetur, nam cum in medio Cordis septo exiguissima dentur foramina, impossibile ducit tantam Cruoris copiam eadem transire, sed quid tum ad circulatio-



nem? Si magis volatilis, & spirituosâ portio per dicta foramina tantum, ceu per cribrum trajiciatur, reliqua inde per Arteriam Venosam, ad Pulmones, ut nitro aëreis particulis alkoholizata, hinc per Venam arteriosam ad sinistrum Cordis Ventriculum pro circulari choreâ ducendâ mittatur, nil sane per hoc absurdi consequitur, nam cum in opere tam præstanti, sine quo vita esse recusat, ut ut duplici via utatur, non officit, Nam cum Circulatio ad oculum ut innuimus jam patentissima, negari porro nequeat, tamdiu in Observationibus, continuandum, donec mirabile hoc supremi Opificis artificium planè innotescat.

Per doctissimum *Leuwenhoeck*, Vena, & Arteria non differunt, sed unicum tantum vas per universam Corporis ditionem continuatum ad esse hac differentia, quod qua peripheriam spectat Arteria, quâ verò centrum Vena dicatur, fatetur, Batavica vero Facultas, unum duntaxat Tubulum instar Arboris ex uno trunco inferiori, innumeros, variosque ramos in summitatem projicientis esse profert, sic ut omnium vasorum, stipis statuatur Cor, à Corde Arteria, quæ inde ubi terminatur in Cerebro abit in glandulam, ex glandula fit filamentum, ex filamentis nervi, hi verò per musculos, & reliquas Corporis partes distribuuntur. In renem transiens arteria, itidem primò mutatur in glandulam, ex glandulis prodeunt filamenta, seu canaliculi, ex hisce fiunt carunculae, ex carunculis ampliatis pelvis, ex pelvi coarctata ureteres, ex hisce dilatatis vesica, & sic deinceps, muscoli oriuntur ex arteriarum extremitatibus, in fibras migrantibus, & laxè combinatis, Fibra hæc arctè juxta se invicem appositæ constituunt tendinem, adhuc magis coarctata ligamentum, firmitus tandem junctæ, & proximè appositæ cartilaginem, & os, ipsum exhibent, Ubi desinit arteria ibi, vel glandula est cum vasa suo excretorio, vel vena cruorem reducens, Hoc modo omnia in Corpore nostro, ex tubulis constant, adeo ut membranae, ossa, dentes, periostium, nihil aliud sint, quam minutissimi canaliculi juxta se invicem diversimodè appositi. Dolor proinde ostocopos, non ossibus, sed periostio, membrana tenuissima ex filamentis juxta longitudinem extensis est adscribendus, Omnes autem Tubuli ex uno tubo seu stipite oriuntur, neque differunt, nisi ratione porositatis liquorumque, quos vehunt; Circulatio quoque liquorum variis probatur experimen-



rimentis, ita si musculus juxta fibrarum longitudinem diffecatur, nihil vel parum liquoris effluit, si verò transversim, cruor copiosissime extillat, quia tunc omnes fibræ discissæ sunt, instituta in fibras musculi injectione, videre licet quomodo liquor in ipsas venas transeat, & sic per omnes Corporis partes humores circulantur hæc, & alia ex Clarissimo Doleo transcribere licuit, ut & illud Magni Coo, effatum, Confluxus scilicet unus, Conspiratio una, consentientia omnia palam fieret, & Vasorum structura fluidorumque circulatio innotesceret de quâ si aliqui dubitârunt, non in ejusdem destructionem, ut lividus Martinus, sed in veritatis perquisitionem objectiones duntaxat suscitârunt, undè præter alios, quos memorat, Famigeratissimus Gassendus \* hæc habet. Vide duntaxat ne non statis manifestum fuerim, celebres illos opiniones de venarum lactearum usu, deque circuitu sanguinis, non ideo abs me impugnari, quod eas probabiles non putem, sed quod contendam solummodo difficultates proponere, quæ vitæ sunt mihi ab usque initio quibus responderetur, dignæ. Nàm, quod præsertim quidem spectat, ad sanguinis circulationem, ea mihi potius sic arridet, ut perparum absit, quin habeam indubiam, etenim est aliquid etiam quod ipse mihi ad meas illas difficultates respondet, tametsi non ita mihi satisfacio, quin sperem mihi quandam ab aliquo alio lucem affulsuram.

Omitto hic reliqua, quæ circa motum progressivum quatenus scilicet liquores propriis receptaculis semel excepti ab iisdem porro non refluant, contra experientiam adducit, nàm ut à lacte in mammis admissio exordiar, præterquam quod in Puerperis per Muliebria passim educitur, cum saliva foras exisse, imo per ulceratas scrophulas quotidie manasse refert Clarissimus Valdschimid, \*\* salivam ad os, & palatum relegatam in Ventriculum iterum ut pro fermento interserviat descendere, probat Famigeratissimus de le Boë Sylvius, semen in vesiculis seminalibus semel exceptum, peregrinis effluviis pollutum ad Caput, artus & Corporis peripheriam deferri immanes Celticorum erumnæ luculenter evincunt, lympham pro sanguine diluendo in Venas reassumi, succum pancrea-

E 3 ticum

\* In Append. de Novo circa Inane experimento pag. m. 312.

\*\* In Epist. 3. ad Dolæum.



ticum chylo remisceri in dubium non vertitur, urinam, calculo caruncula, trombo, aliisque modis in renibus aut vesicâ supressam, iterum per emulgentes in Cruoris sinum receptam necem haud rarò intentasse practicorum monumenta fatentur, imò fæces ipsas in intestinis hærentes ratione vacui majora in vasa resorptas lethallissimis morbis rudimenta potuisse cariosi Galenistarum Codices proferre haud erubescunt, sed quid porrò hisce nugis immorari, si hydrargirij inunctio, ulcerum, vulnerumque balsama, unguenta, emplastra aliaque iisdem applicita, unà cum salivâ, summâ cum molestiâ haud semel excreata, hæc palam evincunt, undè liquet quantum fænoris nostro hoc ævo ne dum Medicinæ sed reliquis aliis artibus Ingenti cum Inventorum gloriâ, ægrorumque emolumento accesserit, & licèt, *Platonis, Aristotelis, Galeni, Hippocratis*, alique similis doctrinæ toparcæ mox minimè vigeant *Baconis* tamen *de Verulamio, Gassendi, Cartesii, Paracelsi, Helmontii, De le Boë Sylvij, Harvei, Bartholini, Malpighij, Leuwenhockii*, eorundem defectum compensare, imò & superare, peroptimè possunt.

*Apelles, Zeuxes, Parrhasios &c.* ne dùm æquiparant, sed longè excellent Bonarotæ, Urbini, Bassani, Procacini, Innumerique alii, nostri sæculi ornatus, qui ne dùm Alexandri digitos erectos, Uvasque pictas, sed multo præstantiora Picturæ prodigia, quibus Celeberrima Parthenopes, Indiga haud fiet, sine Antiquorum invidiâ reliquerunt, & si Aves ad eas non avolarunt, est quod non tam stolidæ, & Homines tam Creduli, ut illis temporibus, mox reperiuntur.

In sculpturâ tot modo eminent, qui & Herculem Farnesianum, & Venerem Magni Ducis excedunt, ut si cunctos recensere vellem, charta deesset. Si Moderna ædificia, nostrique sæculi Delubra sua saltem in Urbe *Martinus* attento oculo prospiciet quantum Antiquis præstent non sine stupore fatebitur.

In Cosmographiâ, Geographiâ, Hydrographiâ &c. præter *Columbum*, aliosque innumeros novarum plagarum Detectores, Geographicæ, Hydrographicæque Tabulæ dimidium plusquam adauctæ quantum profecerint Moderni, cunctis exponunt.

Cogi-



Cogitationes Astronomicas Neotericorum, non inventiones sed realitates adesse, Copernicana, Ticobraentia, & Cartesiana systemata, novaque sydera Antiquis prorsus ignota, palam evincunt.

Si circa Matheſim, *Khircherum*, *Scotum*, *Boilem*, *Strumium*, *Tondinum* &c. conſuleret nedum Columbas Volantes, ſpectula uſtoria, Capita loquentia, aliaque à *Martino* recensita, ſed Corpora integra ambulantiæ, Organa hydrolautica, Cameras harmonicas, Machinas ad Vacuum, Thermometra, Microſcopia, Teleſcopia, aliaque innumera portenta Antiquis neque ſomniata, non ſine ſtupore deprehenderet.

In Poëticiſ ſic Vates modo præcellunt, ut Antiquorum Muſæ tanquàm raucæ Cicadæ obſtrepere videantur.

Minus obſtat quod de Aquis, fontibus, & fluminibus commentat, nam tritum ſat eſt, & vulgare, quod *flumina unde exeunt revertuntur & Mare idè non redundat*, quia proportionem, quâ intrant eademmet pariter, egrediuntur, nec officiit quod pluviæ eorundem defectum quandoque compenſent, nam accidentale duntaxat, hoc eſt, etenim ſi pluviis hiſce aquis ſtandum tantummodo foret, flumina, fontes, & ſtagna, eâ facilitate quâ creſcunt, eadem pariter niſi per terræ poros à Mari novum veſtigal ſuſciperent, decreſcerent, ac ſiccarentur. Nam pluvia, non ex novâ aquarum geneſi, ut ſentit *Mariſinus*, ſed ex fluminum, fontium, Mariſque effluvis, à quibus, ut oculis patet elewantur, fiunt, quæ in Nubes prius denſatæ, mox in Terram deciduæ, ejuſdem uſibus ſic ſupremo iubente Jeovâ, iterum, abſque eo quod Circulari eorundem motui officiant, in pluviæ reſolvuntur.

De utroque iétero, quid ſuper te addam non habeo, verum quidem eſt, quod ſi guſtus ſaporum eſt cenſor, quod cum iſtericorum fæces tam avidè à Canibus devorentur, eorumque urinæ non niſi falſedine proferant non à bile, quæ has amariffimas, & per conſequens ingratiffimas redderet, ſed vel à ſcoriis ſtercoraceis, vel à ſalibus (quod probabilius) reſolutis pendere arbitraret, qui inde prout magis, & minus concurrunt, ſic Colores (ut in lixiviiſ) mox in flavum, mox in viride, mox in atrum plus, minus mutari contingit.

In lithiaſi dum ſanguinem, pro arcenda, vel tollenda inflammatione



tione educere suadet, inflammationis causam minimè attingit, nam si hæc à calculo vel pungente, vel comprimente dependet, hoc non subtracto, utut ad deliquium detrahatur sanguis, inflammatio nunquam decedet.

Hæc pauca Vir Ornatissime ut mea erga te observantiæ specimen exhiberem communique fato occurrerem, in compendium adducere duxi, alia quamplurima, vel quia serius à Dominatione tractentur, sicco pede transegi, scio te adhuc in Vivis, tuas Theses tueri sufficientissimo, nostris conatibus haud indigisse, hosce tamen qualescumque fuerint grato animo ferre, sic enim ingens illa propensio quâ erga te trahor, jussit, voluit, atque coegit.

Vale.

Astæ Idibus Junij

1700.

JOHANNES BAPTISTA WLPINUS  
Medicinæ Professor.



N U N C I U S  
P A R N A S S I U S,

S E - V

EPISTOLA EX PARNASSO

A

SEBASTIANO BARTHOLO

*Ad Celeberrimum, & Reverendissimum Dominum*

CAROLUM MUSITANUM

PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ  
PROFESSOREM.



K R U S W I C K.

Sumptibus PETRI ANTONIJ DE MARTINO.

---

M D C C.





*Typographus Lectori.*

**L** Icèt hoc Opusculum NVNCIVS  
LPARNASSIVS inscriptum, Autho-  
ris nomen in fronte non præseferat; nihil-  
ominus eum concinnatum fuisse à JOSE-  
PHO PRISGO *in Neapolitano Archi-  
gymnasio Iatrias Professore*, viro planè  
erudito, nec vulgaribus tantum, sed interio-  
ribus, & reconditis literis perpolito, accepi:  
tu verò quisquis Author sit, hoc fruire.  
Monitum tamen te velim Lector, quid si  
hujus Epistolæ artificiosam structuram pe-  
nitùs cognosci exoptetur, perlectum prius  
oporteat XIV. Relationem ex Parnasso  
Centuriæ II. Celeberrimi Trajani Boc-  
calini. *Vale.*





V I R O

CELEBERRIMO, ET EXPERIENTISSIMO,

DOMINO D.

CAROLO MUSITANO

PHIL. ET MED. PROFESSORI.

SEBASTIANVS BARTHOLVS

S. P. D.



UM magnus Apollo, Kalendis Maij proximè elapsi, inclyto Musarum choro, poëtarum principibus, atque literatorum proceribus circumdatus (quemadmodum cuiusque mensis primo die assolet) apud Phæbeum pratum \* in throno sederet, ut præcellentibus viris suorum nominum æternitatem exoptantibus æquissimas aures præberet; en homo quidam, D. Carole

Charissime, in illius conspectum se obtulit, ad ejusque genua advolutus, hujusmodi sermone silentium rupit: Serenissime Planetarum Rex, ego sum *Petrus Antonius de Martino Geosonensis*, qui, ut vetustissimas, ac per tot sæcula probatissimas Galeni sententias tutarem, velis, equisque, ut aiunt, contra *Trutinam Medicam Musitani* decertavi. Hos ob egregios meos labores, maxima præmia ipse mihi pollicebar. Inter alia pro certo putabam, ut quando Galenus, sorte favente, auream pilam hisce in concionibus extraxisset ex urnâ, suggestum ascendens, (ut moris est) non tantum apertis tibiis laudes meas celebraturus esset, verumetiam de meo ingenio, sapientiâque ita judicaturus, ut neminem mihi anteponeret, compararet paucos. Quamobrem librum in vestrâ Bibliothecâ collocatum iri,

F 2

nomen-

\* Vide *XIV. Relationem ex Parnasso Centuriæ II. Trajani Boccalini.*



nomenque meum immortalitate fruiturum firmam animo spem fovebam. Verum quod thesaurus mihi credebatur, carbonēs tandem reperi; quoniam ter, concinnato à me jam libro, forte fortunà auream pilam affecutus est Galenus, ( hoc ipsemet perspexi, nam singulis Kalendis ab eo tempore huc spe ductus adfui ) & hunc modò, modò alium Medicum sermonibus suis illustravit; me autem, contra expectationem, nunquàm laudibus exornavit. Ego porrò, Galenum, cujus auctoritatem, dignitatemque strenuè defendi, meis officiis erga se vicissim non respondere, haud satis æquo animo ferens; quàm studiosè, ac suppliciter possum Majestatem vestram rogo, atque deprecor, quæ in hac administrandâ Republicâ, nè transversum quidem unguem à justitiâ recedit, ut id fieri jubeat, quò & liber posterorum honore, atq; memoriâ dignus existimetur, nomenque meum edax vetustas abolere nequeat.

His attentè auditis, Phœbus respondit: Sæpiùs insperata accidunt, quàm quæ speres. Si sapiens comperieris, haud meritò defraudaberis honore, omnem ego abstergebo angorem, virtutesque tuas uberioribus præmiis compensabo. Quamobrem tibi Censores assigno *Danielem Sennertum*, & *Thomam Cornelium*, acerrimi equidem, incorruptique judicii viros, qui tuo volumine perlecto, maturèque perpenso, omnia fideliter sint mihi significaturi. Librum igitur in eorum manus afferri curato, & hinc abi. Hoc peracto, summâ gestiens voluptate, Parnassi confinibus *Martinus* excessit.

Postridiè, omni prorsus abjectâ morâ, Regis mandatum exequendum Censores susceperunt. At vix libri vestibulum ingressi, maxima apud ipsas orta est confusio rerum in eo contentarum, atque eandem rem alter altero interpretabatur modo. Ad quod animum, mentemque cum appulissent, perceperunt tandem, id sibi accidere, quoniam adeò mendis scateret liber, ut pardo maculosior videretur.

Hanc ob causam ad Apollinem *Sennertus*, & *Cornelius* perrexêre, & ità eorum alter locutus est: Nihil unquàm animo nostro accidit accerbius, quàm uti debemus, tuo jussui obtemperare non valuisse. Sciat ergo Majestas Vestra, oportet, talem esse hujus libri periodorum texturam, virgularum, punctorumque situm, & ordinem, ut nobis germani ejusdem sensus perceptio impossibilis  
visa.



visa fuerit. Quapropter ipsam precamur, ut liber Authori reddi jubeat, eique præcipiatur, ut super illum Orthographiæ Limam inducat, mendisque omnibus expurget; quo peracto, nos Vestro Regio mutui obsequentes, in illo perlegendo, omnem curam, diligentiamque adhibebimus.

His, aliisque id genus a *Cornelio* dictis, statim jussit Rex, ad *Martinum* remitti librum, ut idoneis saltem in locis virgulas, punctaque collocaret; atque in fermento jacens, inquit: O' facinus animadvertendum! Etiam Orthographiæ ignari, dentatas chartas conscribere audent. *Sennertus* verò respondit: Propter orthographiæ lapsus, (pace tuâ dictum velim Rex Sapientissime) culpandum neminem esse puto. Nam, qui typis opera tradiderunt, syrtes, & frequentissimos artis typographici scopulos non ignorant; quare improbandus minimè erit *Martinus*, si corruptam orthographiam ejus liber sit fortitus.

Aprilis sturnis graciliores excusationes istas esse, contra subdit *Cornelius*, unusquisque confitebitur, si ad rem ingenuè animum intenderit. Scateat quantumlibet erroribus typorum in regionibus disitis impressus liber, excusabile profectò est; at quod idem excudatur in loco, ubi Author degat, & maculis quam maximè squaleat, indignum equidem esse veniâ assevero. Errent quantumcumq; possunt typographi, quid vetat, quin, dum Author adest, cum nunquam prælo mandari sinat, ni prius à mendis, quàm fieri potest, sit expurgatus?

Jam *Martini* nomen, mi *Musitane*, ex mente nobis exciderat, quando coram Rege ipsius liber denuò allatus fuit, quem, nullâ interpositâ morâ, *Sennerto*, & *Cornelio* iterum afferri jussit.

Interjecto aliquorum dierum spatio, ad Apollinem venit *Priscianus*, dixitque: O' maxime Rex,

*cui Delphica tellus,*

*Et Claros, & Tenedos, Pataraque regia servit:*

*Ecce rudens rauco Sileni vector asellus.*

*Intempestivos edidit ore sonos.*

Cui Phœbus: Quorsum hæc dilectissime *Prisciane*? At ille; Heri in librum apud *Danielem Sennertum*, & *Thomam Cornelium* incidi, qui, ut testatur titulus, à quodam *Petro Antonio de Martino Geosonensi*



scriptus est contra *Trutinam Medicam Musitani*. At non tantum nullus lepos, nulla facundia, nulli sales, nullæ Veneres, nullus nitor, nullaque elegantia illic à me est adinventæ; verumetiam barbari-  
ei fæce conspurcatus, & quavis betâ, crambeque recoctâ insipidior mihi est visus. Imò ex eis, quæ uno stans in pede, censoriâ virgulâ designare valui, dici de illo haud ægrè posse existimo, quot verba, quot sphalmata.

Etenim pag. 25. linguam fieri *lipposam* dicit: pag. 55. *Macedones ille Medicina*, & intelligit Alexandrum Massariam: pag. 63. & 72. *obstendere*, pro *ostendere*: pag. 75. legitur *assedium*, pro *obsessio*, inibi eo loquente; *vel fortis Civitas, quæ longo assedio non cedat*, ubi etiam *bis deostruentia*, pro *deobstruentia*; & in quodam titulo E P Y S-  
TOLA cum Y scribit: pag. 76. *Generus*, pro *Gener*: pag. 77. *Ac-  
cedi* pro *Accessi*: pag. 87. *functioes* pro *functiones*: pag. 95. *conceriem*  
pro *congeriem*: pag. 97. *invencta* pro *inventæ*, & *auxterum* pro *au-  
sterum*: pag. 98. *emuntoria*, & *prontiora*, pro *emuntoria*, & *promptiora*;  
pag. 113. *Zuccarum* pro *saccarum*: pag. 131. 136. & 138. *Elambici* pro  
*Alembici*, pag. 144. *bombacis* pro *gossipii*: pag. 151. & 229. *ricetta* pro  
*formula*: pag. 158. *cauda Gatta* pro *cauda felis*: pag. 177. *Mesues in  
suo præfatio* pro *Mesues in suâ præfatione*: pag. 221. & 244. *mutare cly-  
men* pro *mutare clima*: pag. 290. *Johannes de Procida* pro *Johannes  
de Prochyta*: pag. 313. *scolia* pro *scopulos*: pag. 348. titulum hoc modo  
scribit

## CAPUT XVII.

*De Inflammatione Hepatis, & in genere, ac de Fluxu Sanguinis.*

pag. 360. *Barberis* pro *tonforibus*, pag. 392. *mattones* pro *lateres*:  
pag. 409. *forti ergo, & resoluti animo*, pro *forti ergo, & constanti animo*  
pag. 412. *rogo compati defectus*; & tandem quotiscumque scribere  
debet *Diacatholicum*, aut *Extractum Catholicum*, scribit *Diacactolicum*,  
& *Extractum Caetolicum*. Ecquis, quæso ò Apollo, ex his Martino  
manum addere abnuet?

Si vestris nunc auribus vellem abuti, subdit idem *Priscianus*, alia  
multa hîc recenserem, quæ certè ab ullo patienter nec legi, nec  
audiri possunt. Quid in quam multa! Sic Majestas vestra me sem-



per magis, ac magis diligat, ut Maris undas potiùs, quàm huiusmodi libri solæcismos, barbarismosque numerandi mihi vires suppetere-  
rent.

At, ò Phœbe, quàm illius scripta sint eleganti, ac absolutâ verborum culturâ elaborata, quis poterit fatis ostendere? In suo conscribendo libro Catonis gravitate, Lelii lenitate, Cæsaris calore, Hortensii distributione, Calvi argutiis, Ciceronis opulentiâ, & Gracchi tandem impetu usus est *Gracchus* noster. Dum loquitur, iurares equidem esse M. Tullium Ciceronem, aut si quis ipso Tullio superior inveniri potest. Tullium? Ipsissimas Musas, non hominem loqui contenderes. Verùm nè exemplis oratio mea vacare videatur, de facundâ, ac nitidâ elocutione *Martinianâ*, me nunc eadem afferentem, æquo, patientique animo auscultes obsecro.

Is namque elegantibus, perpolitisque his sermonibus locutus est: pag. 17. à causa materiali, & tactibili, ut aqua candente: pag. 20. sermonem faciens de dolore capitis à sanguine facto: Si est sanguis dignoscitur, quia corpus est plethoricum, dolor non ita acutus, labiarumque purpura genarum rosas osculatur: pag. 55. Ecce Trutinantis sententiam circa Apoplexiæ causas, ut singularem, & novam typis depromptam, cum stampballis vidimus ambulare: pag. 298. Exterius, ad dolores ventris compescendos, propinetur calida vervecis retia astringentibus pulveribus aspersa: pag. 344. Qui (nempe Hippocratis Aphorismus) commentatus à Galeno, sic nos, ut solet, luculenter illustrat: pag. 353. Sic cor de quando in quando trahit: pag. 384. Et impii Judei, tormentandi, non verò confortandi causa, felleum liquorem nostro Redentori perrexerunt: pag. 387. Non possum non alterari, in cogitando, quare reliquerint securiora præsidia, venenata, & periculosiora eligentes; sed non mirum, quia præsens seculum, in hoc luit pœnas, pro tot fogiis, mutationibusque inventis in victu, vestitu, & aliis; unde in tali rerum varietate, nequè Medicina constans esse voluit; sic pœna sequitur delictum, & ars deluditur arte.

Plura volebat, amice *Musitane*, in medium proferre, credo, & forsan ineptiora *Priscianus*; nî Serenissimus Rex ei dixisset: Superfede jam istis rebus; nuces intermitte; noli amplius mihi aures obtundere. Inveniatur *Martinus* iste, & coram me Kalendis Junii adducatur.

Magna satellitum caterva, mandatis obsequens, est de Parnasso  
illicò



illicd egressa; & cùm in laqueos incidisset lupus, eum illuc traxere; tumque Apollo hujusmodi sermone locutus est *Martino*: cur vix de pectore voces balbas referre sciens, *Musitanum* es infectatus? Satisfac modò *Prisciano* de puerilibus tuis erratis. Quamobrem voces has *Martinus* ad *Priscianum* direxit: Doctissime Grammaticorum Princeps, licet multa in libro meo Orthographiæ errata enumerentur ab eis, qui evaginatâ linguâ, tanquam ancipiti gladio me persequuntur; nihilominus illa non mihi, sed typographis potius tribuenda esse tibi persuadeas oro; ut *obstendere*; *deobstruentia*; *Epystola cum y*; *functioes*, & similia; quare non me verborum contumeliis ore livido lacerare, sed illis obtrectare deberent.

Vix talia fato *Priscianus* respondit: *Martine*, M litera tibi obigit, alterumque Melitidem, aut Coræbum te puto, dùm  
*facta infecta facere verbis postulas.*

Quæ tu dixisti, sint à typographis errata commissa; (non tamen sine tuâ culpâ) at *assedium*; *bombaci*; *cauda gatta*; *ricetta*; *clymen*; *scolia*; *mattones*; *Genius*; *Planè Planè*; *de quando in quando*, & alia innumera his ut ovum ovo similia, quæ si hîc accuratè enarrare vellem, orationi meæ tunc finem præscriberem, cùm pareret mula, nullo certè modo typographis, sed tibi tribuenda erunt; linguam igitur tuam compesces, tace, quia  
*Nescit vox missa reverti.*

His ab Apolline auditis, jussit, ut custodiretur *Martinus*, donec ante conspectum suum *Sennertus*, & *Cornelius* cum libro revertentur.

Cùm deindè Kalendis Julij ambo libri Censores ad Regem se contulissent, ita *Cornelius* subsannans inquit?

Τὸ πρὸς Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς ἡμετέρας. (A)

Si quis hoc libro, ò Regum Sapientissime, pejorem inveniet, ego me illi mancipium dabo; certè hujus Author  
*vigilans somniat,*

*Jam deliramenta loquitur, larvæ stimulant virum.*

Etiam Artis Medicæ primordia ignorat *Martinus*; (ne eum in pudendo latinitatis naufragio fluctuantem, aut potius præfocatum ostendam, cùm id minimè ad nos attinere videatur) quoniam pag. 151.  
*afferens*

(A) Cum divâ est ausus sus decertare Minervâ;



afferens medicamina, quæ vertigini medeantur, inquit: *Amuletum* autem, quod satis conducere potest hujusmodi malo, est julep de corticibus citri, tinctura alchermes, cum julep cinnamomi, vel julep rosellorum, cum diacinto, quidve simile corroborans ventriculum, & cerebrum: pag. 299. Inter *Amuleta*, (ait) propinetur ungula equi non luxuriantis, quæ in butiro frixa, ac in pulverem redaeta, sumatur adstringente julepo ad 3 j mane, & sera; & parum postea omnia antidysenterica medicamenta vocat *Amuleta*: *Quæ Amuleta*, (sunt ejus verba) seu antidysenterica medicamenta, &c. At hæc nonne, obsecro, sunt medicamenta, quæ per os assumuntur; & *Amuleta* (ut videre poterat in *Lexico Medico*) sunt medicamenta, quæ Græci *Periapta*, aut *Periammata* vocant; sic appellantur, quod de collo suspendantur, aut alicui corporis parti alligentur. Quis, ô Rex justissime, quis Medicum alios professores Theonino dente rodentem, & Amuleti nomen, significatumq; ignorantem, cum Amuleti speciem non dijudicabit, quod longè extra Medicinæ limina suspendatur?

Ut verò definitio ἀναστόμωσις ab eodem allata intelligatur, Deilio opus est natatore, dum ita pag. 152. loquitur: *Anastomosis* est vasorum dislocatio à sanguinis multitudine, vel caloris excessu, quæ vitia sequitur mollities tunicarum facile scindibilium, vel dislocabilium. Toto aberrat Cœlo in assignandis Pleuritidis differentiis pag. 186. *Vera* itaque *Pleuritis* (inquit) est inflammatio Pleuræ vestientis costas internas, vel musculorum intercostalium internorum, ut Galenus 5. de loc. aff. 3. & multis aliis locis, quam descriptionem unanimiter receperunt Veteres, & Novissimi Scriptores. Quibus verbis luce clariùs apparet, quod apud Martinum inflammatio musculorum intercostalium internorum vera sit *Pleuritis*. At Galenus rem non ita se habere, loco ab eodem Martino citato, sed non lecto, his ostendit: Veluti rursus ubi ipsa (Pleura) aliquando primario affectu infestatur, intercostalium musculorum partes interna similiter ei consentiunt. Verum exquisita *Pleuritis* fit, ubi cingens costas membrana primario affectu laborat. Ibidemque Author Responsi spuriam Pleuritidem ratione loci, ut aiunt, fieri asserit, quando fluxio exteriores musculos, vel exteriorem membranam succingentem mendas costas, vel Pericardium, Mediastinum, vel septum transversum invadit. O turpem, ac vix puero ignoscendam insciam! Quis poterit Martino melius Delphynum sylvis, fluctibusque



Aprum appingere? Pag. 280. vomitoria vocat remedia syrupum rosatum solutivum scilicet, & violarum, dùm inquit: *securius vomitivum est syrupus rosatus solutivus, & violaceus*: pag. 29. ait: *septem illa paria nervorum à calvaria ex exeuntium* (ut ex Veterum, & Modernorum anatome constat) *internaue viscera irrigantium in causa esse tanti consensu, ac talis compassionis*. Nunc videri vult se Recentiorum Anatomicorum volumina perlegisse, quæ ne per somnium quidem eum vidisse jurarem. Etenim si inter hos tantummodò Celeberrimi *Thomæ Bartholini* Anatomiam evolvisset, incidisset equidem in illius Cap. I. Lib. III. ubi de Nervis in genere loquens, scripsit: *Septem verò illa paria, nos rectius dicimus decem esse paria, ut patebit sequenti capite, & ità nos quadraginta paria nervorum facimus: decem intra cranium orta, & triginta extrà in spinâ*. Amabo, non potuisset ex his discere falsum esse, *septem paria nervorum à calvaria exire, ut ex Modernorum anatome constat*?

At audi, quæso ò Sapientissime Rex, attendite adstantes, quibus præsidiiis, & quibus anni temporibus conatus sit *Martinus* Paralytici cujusdam infelicis septuagenarii mederi; inter alia ità pag. 79. scribit: *Pilularum artericarum, hermodactilium, & de tribus a. 3 j. præbui; ut alias mali radices fortius evellerem; & hoc fuit diebus canicularibus, quando patula multum, & satis aperta sunt via, per quas crassorum succorum possit fieri eductio* (perpendite Tyrones, canicularibus diebus, *Medicina miracula*) *& maxima facta corporis agitatione, medicamentum, & humor acerrimo conflixere duello, &c. atque pag. 80. Et interdum sol sub signo libræ quiescens ponderabat opera nostra, sublunarium propterea medicaminum usu desperato, ad extractum Divinum (intelligit Catholicum) evolavit intentio, idque ad 3. iij porrigendo, &c. & pag. 81. Iterum ad extractum Divinum regressi; ejusdem 3. iij in die 25. Julii 1676. propinavimus. Quis audebit, contra omnem Rationem, & Experientiam similia purgantia medicamenta septuagenario homini, etiam chronico morbo laboranti propinare? Quis Medicorum, canicularibus in diebus eradicativè, ut aiunt, purgantia periclitatus est unquam? Nonne hoc etiam vetitum ab *Hippocrate* 4. *Aphorismorum* 5. his verbis fuit: *ὕπὸ κύνων, καὶ τὸ πρὸ κύνων, ἐργάζεσθαι φαρμάκων* † Dic mihi *Martine*, non ne tu es, qui in *Præudio* libri*

† Sub cane, & ante canem difficiles sunt purgationes.



libri tui, aded Annalibus Volusii similis, ut lacte lacti est, ) liceat mihi modò cum Plauto loqui ) dixisti: *Promisi quousque reget Os, dum spiritus arctus, semper Peripateticam, & Galenicam tutari sententiam?* Cur nunc tuum Galenum dereliquisti? Ignoras quoque, hunc in comment. cit. Hippocratis Aphorismi scripisse, quod *plures purgati hoc tempore incidunt in febres, & natura ex aestu imbecillis, magis expurgatione dissolvetur: & quidem purgatio hæc prava fiet, quum calor aëris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores?* Quis fuit præceptor tuus? à quonam hæc accepisti? Quis te drachmis tribus extracti catholici uti edocuit? Si latinæ locutionis ignarus es, poteras hoc vulgari sermone exaratum apud omni laude dignum Josephum Donzellium in suo Theatro Pharmaceutico legere, ubi hæc invenisses verba; *La dose di questo non dovrà trascendere, in questo clima, il peso di una dramma.*

Æquissime Rex, cur hominem hunc, & mente, & oculis cæcum vitam vivere sinis? Cur medicinam facere permittis? Medici,

*Vel perfectè artem discant, vel non medeantur;*

*Nam si alia peccant artes, tolerabile certè est:*

*Hæc verò nisi sit perfectæ, est plena pericli,*

*Et sævit tanquam occulta, atque domestica pestis.*

Magno fervore Cornelio ratiocinanti, digito silentium, mi *Musitane* significabat *Sennertus*; at ei non est obsecutus, quoniam absque ullâ morâ subdidit: A se ipso quoque dissidet adversisque frontibus pugnanti loquitur, & aded apertè, ut nè temulentus Cyclops idem peregisset. Utilem Spirituum, Salium, Extractorum, & Antimonii usum à Recentioribus inventum, omnibus nervis, facultatibusque conculcare nititur in suo libro *Martinus*; eundemque veluti deridens pag. 103. ait: *Curet Modernus cum salibus, spiritibus, ac extractis mineralium, vel antimonialium rerum suum Epilepticum; nam nos antiquis præfatis simplicibus, & ordinariis præsidiis gaudemus nostros curare infirmos; an autem melior, pejorque nostra sequatur opinio, experientia duce, referat, qui tulit.* Sed cucurbitinum caput, sui immemor: pag. 115. scribit: *Vomitum provocetur sale albo vitrioli, vel aceto destillato, vel celeberrimo vino infuso per viginti quatuor horas vase Antimonii.* Non tantummodò hoc in loco Antimonii hujusmodi usum commendat; verum etiam pag. 160. 238. & 266. magnificis verbis, licet barbaris, extollit ad sydera. Pag. etiam 199.



in Asthmatis cura inquit: Cui addi possunt spiritus sulphuris, & extracti hypericon aliquantulum ad magis discutiendum ab affecta parte; atque in curâ Empyematis subdit: Spiritus Terebinthi in julepis sumptus, abstergit, & consolidat contractum ulcus, unde debet alternari in lambitivis: & pag. 229. utitur etiam, quis crederet? oleo cinnamomi, elixireque proprietatis. Tàm vario, inconstantique homini, Serenissime Apollo, quis Mnaseæ Colofonii poëtæ cognomen non adaptabit? quis eum Salpam non appellabit?

Concoquere cibaria ventriculum per calorem contra *Musitanum* pag. 244. defendit; sed hujus oppositum ex diametro asserit pag. 258. ubi vult, quòd dari debeat succus quidam in stomacho, qui tali fungatur munere his verbis: Dicant mihi negantes dari hujusmodi succum devorantem ac dissolventem cibos in ventriculo, sicut aqua Regia dissolvit aurum, vel alia aqua fortes, alia metalla, unde est quod hujusmodi voraces, multum comedant, citò comesta digerant, & pauca egerant? quando parte ex adversa communis viventium usus est, pauca comedere, tardè digerere, & proportionatè egerere. Certè per vos breve transfertur digestivus succus, qui dum mitis est, proportionatus, & connaturalis, appetentiam excitat, & chylosim adjuvat; dum verò auctior, immodicus, & peregrinus undique ortus, magnam facit corrugationem, appetentiam, ac digestionem, ideoque famem. Dùm non paucis ex verbis locus hic Martini constat, facile esset in eo multos (missâ repugnantia) errores designare. Quis cum Democrito illius inscitiam non derideat? Quis cum Heraclito ejusdem non fleat miseriam, dùm asserit, quòd communis viventium usus est pauca comedere, tardè digerere, & proportionatè egerere? Papæ unde ruditas tanta? Eum etiam latet, inter viventia, aliqua adeò voracia, & citò digerentia inveniri, ut vix sat a-ta esuriant? Miserum! forsan ignorantia generalis vocis viventium est deceptus; existimans, quòd cùm *Vivens* diceret, *Hominem* tantum significaret.

Contra *Musitanum* pag. 338. insurgit, quod in suâ *Trutinâ* dicat: Calor omnibus partibus est à sanguine, qui cùm calet, aut friget partes omnes & calere, & frigescere facit, inquiens, negamus suppositum, nempe calorem esse à sanguine: & non recordatur paulò ante, pag. 337. cùm explicare vellet, quomodo eodem in tempore esse & hepar calidum, & stomachus frigidus possit, dixisse: Arteriola itaque ventriculi supponantur aliquo modo obstructæ; hepatis verò satis aperta, quid impedire potest quod ille sufficiens langueat calore, & istud praevalida vexetur intemperie? Nonne hoc



dicere idem est, ac confiteri, à sanguine partium calorem, & frigiditatem pendere?

Præterea pag. 97. de spiritibus verba faciens, ait: *Imò quia tenuissima substantia est, ideo ex quocunque impedimento sistitur, vel dissipatur, eo modo loquens, ac si majori cum facilitate prohiberi possit transitus tenuissimis, quàm crassioribus substantiis.* Pag. 115. rejicit stercus pavonis à *Trutinante* commendatum, hac solum ductus ratione, *quia nullam assumentis præbet evacuationem, vel sensibilem alterationem:* ibidemque summopere laudat *Julepum de corticibus citri roboratum essentia citri, tinctura alchermes, cum julepo cinnamomi, vel julep. rosellorum cum diacinto.* Sed quisnam, quæso, Medicorum unquam, sensibilem fieri evacuationem vidit ab his, quæ à *Martino* proponuntur, commendanturque. Si pavonis stercus, ut inutile ab ipso rejicitur, *quia nullam assumentis præbet evacuationem;* cur eadem ratione rejicienda non erunt; quæ ab eo proponuntur? Pag. 139. dicit vapores, qui è stomacho elewantur incorporeos esse: *vel quia incorporei sunt, &c.* verum si sunt incorporei, quomodo ad cerebrum perducti in liquorem commutantur, ut ipse paulò infrà asserit? Pag. 151. vult, ut in aurium affectionibus corpus sit purgandum pilulis, *quæ sero sumptæ interdormiendum suavius purgant, & adhuc à capite discutiunt, ut ʒ pil. de Agar. ʒ j. extract. cathol. ʒ ij. f. pil. & deaur.* Sed contra hanc *Martini* methodum, audiendus est *Leonhardus Fuchsius* inter Galeni asseclas disertissimus, qui in suis *Institutionibus Medicinae lib. 2. sect. 5. cap. 18.* ita loquitur: *Quapropter Recentiorum, & eorum qui hodie Medicinam faciunt, modis omnibus explodenda opinio erit, propterea quod, quum caput maxime purgare conantur, catapotia, seu, ut usitatiore illis utamur vocabulo, pilulas post cœnam devorandas præbent. Quippe is mos, non solum adversus ea, quæ diximus ex diametro pugnant, sed etiam prorsus à Veteribus damnatus est. Siquidem Paulus Aegineta lib. paulò ante citato (nempe 7. cap. 4.) eos, qui aloën vesperi exhibent, aut à cibo, noxam inferre disertè affirmat, quòd scilicet alimentum, cibumve corrumpat, & flavam bilem minùs vacuet. Si igitur Aloë, quæ ex toto corpore trahere nequit, & grata est ventriculo, à cibo exhibita tantam noxam inferre potest, quid futurum est si vehementia catapotia, quorum compositionem scammonia, colocynthis, & id genus alia medicamenta ingrediuntur, exhibentur?* Hæc *Fuchsius*.

Pag. 208. dicit, quod qui pulmonum Hydrope laborent, cibaria salsa, & sicca sumere debeant: sed cur iis salsa tribuenda erunt, dùm incorrigibili siti laborant, ut ipse etiam pag. 206. asserit? Forasan



apud ipsum, falsa valebunt sitim sedare? Notum quoque est Medicinæ tyronibus, nullam aliam intercedere differentiam Maniam inter, & Melancholiam, quàm quòd Mania sit Delirium cum furore, & audaciâ; Melancholia verò, cum timore, & mæstitia, ut etiam *Martinus* ipse propriis capitibus confitetur: verùm pag. 45. de Melancholiâ verba faciens, his locutus est verbis: *Si verò ex humore melancholico, & Atrabile, per ulteriorem coctionem magis adusta; tunc færior & pertiniacior fiet Melancholia, in hac enim agri lapides projiciunt, mordent, feriunt, aliæque ferina efficiunt* At si irâ se res habet, quantum à Maniâ distabit Melancholia? Quid poterit amplius Maniacus efficere, quàm lapides projicere, mordere, ac ferire? Adedò *Responsi* Authoris inscitia excrevit, ut pag. 181. ausus sit dicere: *At ruente sanguinis gyremate, ruere quoque debet Trutinantis objectio; supponamus ergò pro nunc non dari sanguinis circulum, ut Harvejus, Pecquetus, Valleus, & alii somniant, de quo discurretur capite de Hepatis inflammatione.* Congruum nunc esset Majestati Vestræ ob oculos rationes exponere, quibus, dùm de Hepatis inflammatione verba, more solito, facit, manibus, pedibusque, ut dicitur, demoliri, si Dîs placet, funditusque evertere *Martinus* sanguinis circuitum nititur; nisi mihi cunctationem tinctura sardonica injiceret, quâ genas meas liniri persentio, dùm tantummodò unâ mecum talia referre cogito. Etenim, quæ in medium ibi affert, non solum nullius ponderis sunt, verumetiam *Martiniano*, scilicet Latino-Geofonensi idiomate loquuntur.

His impatiens factus *Priscianus*, subdit: Minimè potis sum capere, Sapientissime Rex, quomodo *Bubo* hic in elegantior Libetris, ausus sit adedò ineptè loqui contra *Musitanum*, hominem factum ad unguem. Ex eis, quæ in illius libro ego adinveni, & nunc ex *Cornelio* audio, indignus equidem *Martinus* est, (fas sit dicere vestrâ etiam, qui adstatis, veniâ) *Musitano* matellam porrigere. A' propriâ abhorrens pelle, quantum conjecturâ assequi possum, tegere se leonino exuvio voluit: at infelicem! Parthenopæi cives Cumanis non sunt similes; primis enim vocibus deprehensum ludribio habitum, ac probè fustigatum ab eisdem fuisse mihi suadeo.

Cùm talia audivisset Apollo, dexterâ silentium loquenti indixit, atque præcepit, ut ante se denuò duceretur *Martinus*, quod illicò factum est. Vix eò adductus ille fuerat, quando coram Rege apparere visus est *Claudius Galenus Pergamenus*, (qui *Martini* adventum quòd præsensisset, haud est ambigendum) atque ità est affatus: O' quanta,



Regum maxime, hujus animum dementia cepit! Hic ut pro me staret, meaue mordicùs defenderet, adeò ineptivit, quemadmodùm ex ejusdem opere apparet, & qui maximè. Quid enim absurdius, quàm ne me deferere videretur, circularem sanguinis motum ægro- tantium esse somnia asserere? Lacteos ductus, lymphatica vasa, suc- ci que pancreatici fontes, mera esse commenta asserere? Nonne hæc, & alia multa Recentiorum Anatomicorum industriâ patefacta, luce meridianâ sunt clariora? Nonne, obsecro ò Apollo, hoc potius im- ponere est, quàm exponere, & errores fovere potius, quàm scientias il- lustrare? *Martinus* certè nunquàm mea volutavit volumina, in qui- bus passim *Philatris* scriptum reliqui, ea tantùm ab ipsiis recipienda esse dogmata, quibus *αυτοφία*, invictaque ratio fidele patrocini- um præstaret; non verò illa, quæ solâ celebriorum virorum autoritate fulcirentur.

His à Galeno vix dictis, adeò irâ *Phœbus* exarsit, (novum equi- dem) ut ex ipso lucernam, veteri proverbio, accendere potuisses; aitque *Martino*.

*Maximas nugas, ineptiasque haud dubium est te cepisse.*

Si infimæ classis homo es, cur *Musitano* infenso animo es adversatus? Ut Medici membrum sæpè putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, nè aliquam corporis partem labefactare, aut corrumpere possit, sic necesse est, si R. P. salvam esse volumus, ut insulsos homines ex Orbe literario penitùs extirpemus, nè corruptus integro, violatus casto labem infigat.

Tunc infelix *Martinus* adeò pallidus factus est, ut qui tùm maximè revivisceret. Exterritus oculos undecunque circumvolvebat, vestiga- batque aliquem patronum. At *Sennertus* commiseratione ductus, Apollinis animum irâ inflammatum remulcere studens, blandè in- quit: Clementissime Rex,

*Sera nunquàm est ad bonos mores via;*

*Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.*

Si hucusque erravit *Martinus*, in posterum meliori calamo scribet; quare interim da, quæso, veniam lapsu.

At *Priscianus* statim subjunxit:

*tamen ad mores Natura recurrit.*

*Damnatos, fixa, & mutari nescia; nam quis*

*Peccandi finem posuit sibi, quando recipit*

*Ejectum semel atria de fronte ruborem?*

*Quisnam homo est, quem tu contentum videris uno flagitio?*



Cui *Thomas Cornelius* respondit: Pacato sis animo *Prisciane*, non tantum extra Latii muros, veluti Latinæ locutionis ignarus, ablegandus non est *Martinus* noster; verum etiam *Latini* cognomento insigniendus videtur. Nam si P. Cornelius Scipio P. filius, Annibale victo, & Africâ subversâ, *Africanus* est cognominatus: mox ejus frater Lucius, Antiocho superato, Asiâque devictâ, *Asiaticus* est dictus: Gn. Martius, à Coriolis expugnatis, appellatus est Coriolanus: & tandem Sergius, Fidenates vincens, dictus est *Fidenas*; cur *Martinus*, Latio subverso, *Latinus* jure merito non cognominabitur?

Adeo adstantibus cunctis dulcis hic lepor placuit, ut ipse Apollo ridens speciem præbere videretur. Deinde ita locutus est *Galenus*:

*Pectora tantis obsessa malis  
Non sunt istu, ferienda levi.*

Atque demum *Thomas Cornelius*: Quos ipsa Natura (ait) retinere in officio non potest, ij magnitudine poenæ maleficio submoveri debent.

Dùm hæc, amice mi, colloquebantur, allata Regi fuit epistola, quam statim ac legere aggressus est, lætitiæ signa dedit. Hoc cum vidisset *Martinus*, abjectum erexit animum, & ad Phœbi genua procumbens, sibi ignosci, suppliciter ipsum est deprecatus. At Apollo: Ni hæc literæ singulari me gaudio affecissent, (inquit) haud dubiè condigna tibi poena fuisset inflicta. Abi ad Cervos, & si amplius libros conscribere audebis,

ἐγὼ σε λαβὼν, ἀπὸ μὲν φίλα ἔματα θύσω  
χλαῖναντ', ἡ δ' ἑ χιτῶνα τὰ τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει,  
αὐτὸν δ' ἐκλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφίξω. †

Cave, ne quod peperisti monstrum in publicis Bibliothecis venale exponas; verum illud defer

*in vicum vendentem ihus, & odores,  
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.*

Et hæc, mi *Musitane*, in *Martini* causâ fuere, quorum te certior rem facere volui, ut scias quàm gratus, acceptusque fuerit Apollini, literatorumque præeribus illius liber, & persona: interim ἔρρωσο.

Ex Parnasso V. Kalend. Augusti M DCC.

† Ego te comprehendam, & charis vestibus exutum,  
Palliaque & toga. & his quæ pudenda contegunt,  
Te stentem ad veloces triremes dimisero.

VIRO





V I R O

*Clarissimo, & Eruditissimo Domino*

JOSEPHO MUSITANO

PHILOS. ET MED. DOCTORI

*Domino suo Ornatissimo*

LAURENTIUS TERRANEUS

T A U R I N E N S I S

*Philosophia, & Medicina Professor*

S. P. D.



Uòd officia erga Te mea per epistolam ro-  
gare R. P. MATTHÆO à Cadralio Amico  
integerrimo libuerit, Vir Eruditissime, ipsi gra-  
tes egi plurimas: Plures verò haberem Tibi,  
& si possem, quoque redderem, si quum isthac  
transires, me pro Tuâ humanitate convenire,  
vel saltem, ubi convenire Te possem, monere  
Tibi placuisset, quo gratissimum unà ac sum-  
mè honorificum mihi fecisset, honorificum quidem quod Tui ami-  
citiam ineundi ansam præberes, quam obtinere summum mihi de-  
cus, & gloriam reputo; gratissimum verò quod illud velut spontè  
occurrrens exhiberes, quod diù, atque sollicitè perquirebam, nempè  
ut possem aliquando, levius licet, testari quantum mihi sit studii,

H

obsc-



obsequii, & cultûs erga R. D. CAROLUM MUSITANUM  
 Avuaculum tuum, Virum illum Celeberrimum, & undequaque  
 Spectatissimum, de quo tota meritò sibi gratulatur Patria, quam  
 singulari animi candore, atque splendore, nec non gentilitiâ nobi-  
 litate, iisq; omnibus quæ patritii optimi esse possunt, exornat amplif-  
 simi, & eximiâ medendi Prudentiâ, quam ipsi invident exteri, etiam  
 servat, eâ felicitate, ut Patria sua non solum sit, quod ab illâ vitam  
 susceperit, sed magis sua, quia suum est, quod illa vivat, & vigeat,  
 & in illâ constet vis, & firmitudo, vigor, & robur, frequentia, &  
 cultus in populo, ut in Primatibus, in artibus, & scientiis, in civilibus,  
 & sacris ordinibus. Totum verò habere non potuit, quamvis ipsum  
 tota habeat Patria, quæ licet Amplissima ipso tamen est minor,  
 plurimum illius, singula nempè, & planè mirabilem in omnibus  
 Scientiis Eruditionem Italicæ sibi adsciscunt Academia, quorum  
 ferè omnes, atque præcipuè illum non inter socios modo, sed inter  
 Proceres suos voluere. Sed adhuc Italicis Academiis, licet nihil  
 ipsis majus agnoscat Europa, major est, qui Orbi Universo erudien-  
 do par fuit publicis illis scriptis quorum argumenti Majestate quid  
 sublimius? Quàm totius humani generis salus agitetur: tracta-  
 tionis ratione quid magis perspectum, aut quid magis aptè factum  
 ad speciem Sapientis Viri? Quàm nihil præter veritatem, & quæ ad ve-  
 ritatem accedant totis Viribus, & cordatè ad usq; famæ periculum  
 est prosequutus, si famæ fuit quod ejusdem fecit augmentum; elatere  
 synè pollet validissimo Sapientum Virorum fama, quæ nisi vi summâ  
 comprimatur, resilit impetuosius; supra veritatem verò nulla potentia.  
 Libros publico dedit toto scriptos Apolline, MUSITANO videlicet  
 toto non nisi tantas esset, ut vel in maximis totum se adhibere non  
 possit. Hinc est quod in omnium mentibus tantâ cum admiratione vi-  
 vat, in meâ verò tantâ cum veneratione, quàm adeò maxima illi de-  
 beat Orbis, ut non haberet amplius quod rogaret, nisi intelligeret  
 ipsum alia parare adhuc majora, quam rogare possemus, quibus vota  
 non modo, & expectationum omnium, sed & ipsam vineat cogita-  
 tionem; prona adeò sunt ipsi vel quæ nostram superant vim imagi-  
 nandi, & labor ipsi propè est nullus quam credebamus immanem:  
 ea est tanti Viri magnitudo animi, illa vis mentis, atq; capacitas, illa  
 Doctrinæ, atque Sapientiæ multiplicitas, ac amplitudo, illa denique  
 Virtus,



Virtus, seu Heroïna virtutum, quâ nec sumptu, nec labori, nec sibi parcens ipsi ut omnibus proſit, ut deſit nemini, omnium ſaluti totus vivit, quam tum opera, tum publicis, privatiſque ſcriptis aſſiduè ſtudet promovere. Illius Viri es Nepos Joſeph Meritiſſime, cui vix parem alium Medica habet Reſpublica, nec ſe habituram ſperat, niſi quum te ætate grandiore habebit, qui nunc es illius exemplum, ac velut imago, & omnibus ævi tui medicis exemplar. Ex patruï tam eximii gloriâ intelligis quale tibi accedat decus, & quanti honoris nomini velut hæres ſuccedas, quum nos intelligamus non modo quantum habes à Patruo gloriæ ſed magis (quod animus tuus eſt) quantum habes Sapientiæ, & habes à te ipſo, licet ex Patruo: Promeruiſti quod ex illo habes gloriæ, imò & illud habes quo ipſe gloriæ ſummam promeruit, illam videlicet, quâ eximiè ornariſ, ſcientiam, quæ ſtirps quidem eſt, & imago Patruæ, ſed tamen tua. In illius gloriæ partem veniſti præcipuè, quod partem habes maximam illius virtutis, ut Doctrinâ, & Candore animi impleas illud MUSITANI nomen, quod Virtuti conſecravit Patruus, nos æternitati. Quamvis, non modo in partem venis Patruï gloriæ, ſed illius pars es maxima, nec modo gloriam ab ipſo deſumis, ſed ipſius gloriam tu quoque facis: Gloriam Conſanguinei, gloriam Præceptoris facit, qui gentilitium decus, & Doctrinæ ſplendorem ſervat; plus adhuc qui auger. Tu, & Conſanguineum, & Præceptorem optimum in uno naſtus, utrumque unus optimè præſtituiſti, morum ſuavitate, ac nobilitate, & Doctrinæ præſtantiâ ſingulari, quibus Patruï optimi felicitati facis complementum; & facis etiam nobis: Nam quod illi debet Litteraria Reſpublica, debet & tibi, qui in illius laboribus habes quoque plurimum tui, & illis auxilium tuum contuliſti laude majore, quam propriis operibus, totoque ſui Marte authores acquirant quamplurimi. Atqui nunc quidem cum Operis Eruditiffimi typos tibi demandatos agnoſcimus, ut per te lucem videat, ſeu melius lucem nobis afferat Opus illud, quod licet maximam habeat perfectionem à Patruo, à te adhuc expectat ultimam, & quamvis nihil ipſi addi poſſit, quod tamen unum addendum eſt, illud eſt Tuum: Ille chartas quidem Doctrinâ, & Solidâ Medicinæ Prudentiâ Illuſtres, ac æternas, ſed privatas fecit, vel publico ſaltem deſtinavit, tu facis publicas, & aliud



æternitatis, dignitatisque genus addis adhuc, nec non Patruī in nos beneficia reddi majora, quod illa quidem ipse paraverit, tu verò largiris. Hinc vides quanta sint omnium vota, quot preces, ut illius operis evulgationem properes, quod cum tanti futurum sit nobis emolumentū, nam præsentis ægris mortalibus salutis, intelligis quanti detrimenti sit illorum retardatio. Ad te unum omnes convertimur, ut Orbis Eruditioni, & saluti ad labores, & dignam se, atque te ipso Patruī sententiam perficias, cujus animi amplitudo, est prodesse omnibus, id omnes à te sperant, id etiam enixius rogo, si licet meæ privatæ precis argumentum facere, quod argumentum est publicæ, si fas est illum rogare enixius, cui facilis animus, cui facilis res est, ut de omnibus benemerentur. Interim tibi, Patruo, & nobis vive, & Vale.

Augustæ Taurinorum

VII. Kalend. Julii

1700.

CELE





*CELEBERRIMO, INCLYTO, EXPERIEN-  
tissimo D.D. Pluribus Nominibus Colendo*

**LAURENTIO TERRANEO**  
TAURINENSI

**JOSEPH MUSITANUS**  
CASTROVILLENSIS.

S. P. D.



IX idonea verba suppetunt, ut abundè benevolentiae  
tuae quas debeo, & quas possum, Vir Celeberrime  
agam gratias, ob humanissimas, quibus me extra Pa-  
triam peregrinanti non tantum dignatus es, sed &  
beasti literas. Infelicitatem meam non semel deflevi,  
quod Taurinum pertranseunti T. D. salutare non licuit, ac pro-  
pius meis oculis intueri Magnum LAURENTIUM TERRA-  
NEUM Medicorum decus, facultatis grande jubar, cujus fama  
totum implet Orbem, quique inter Medicos tantum consecutus  
est nomen, quantum LAURENTIUS inter SANCTOS  
MARTYRES, & qui ob divinas, quibus Caelum beavit, ac di-  
ravit, dotes. Οὐ πάντως potiùs *Cælestis*, quam *Terraneus* dici me-  
reretur, verum mihi non licuit esse tam felici, urgebant mandata  
Venerandi Patruj, aut potius parentis, nec diutius apud Vos, com-



morari patiebantur; Unde me infelici sydere natum dixissem, nisi numinae propicio incidissem in Illustrissimum Comitem, & Reverendissimum Abbatem Provana Viros virtutibus suis non minus quam stemmatibus, & claris Natalibus insignes quibuscum recta salvus, & incolamis Genevam appuli, ubi illico in gratiam Colendi Patruī Celeb. Virorum Apologias ad Medicum quendam *Geosonensem* nomine *Petrum Antonium de Martino* praelo subieci. Petes dubio procul, Vir Magne, quis ille *Petrus Antonius de Martino*, qui in Meum Patruum calamum & quidem virulentum stringere non erubuit? Quod istud Animal, cujus Pecus? aut ex quo Antro prodierit? Grammaticum qui eum diceret, non illi quidem sed grammaticis summopere Injurius esset, imò utrum unquam Grammaticæ Regulas legerit, Problema est. Medicum se vocat, sed alter est *Acesias*, cujus imperitia ab *Aristophane* celebratur, saltem in eum, quod de Arabe Medico *Averroë* dixit *Ludovicus Vives*, quadrat, Græciæ, & Latinæ Linguae esse Ignarum. *Galen*i se defensorem sistit, Pergameni illius Medici, quem Divinissimum vocat *Alexander Trallianus*, Medicorum Maximum Pontificem *Scaliger*, undecimum inter duodecim Orbis ingenia subtilissima *Cardanus*; At de tali *Galen*i defensore nunquam diceretur, quod de *Galeno Heinsius* fuisse mare eruditionis, disciplinarum Oceanum, Ingenuarum artium promum condum. Imò potius illum esse ignorantiae Patrem, Barbararum vocum Inventorem, Stolidarum Observationum incomparabilem Authorem, Nugarum fontem inexhaustum, Fatuitatum Pelagus profundum, ab iis qui eum intus, & in cute norunt, affirmatur, definiturque ANIMAL PHLEBOTOMIZANS, ET CLYSTERIUM AMANS. Ille est *Petrus Antonius de Martino Geosonensis*, qui Patruum ad certamen provocare non veritus est, ut si catulus Leonem laceggeret. Pugnam non recusavit Patruus, quamvis impar esset adversarius, & multi suaderent, ne cum tali luctaretur luto. Videbis Vir Magne quàm benè hunc Temerarium Aggressorem, & Mirmillonem dedolet. Judex certaminis erit totus Orbis. TE ipsum Judicem appello. Laudibus, quas ὁλὼ θυλάκῃ in Charissimum Patruum congeris, nihil repono, hoc unum dicam, nihil illi gratius fore, quàm à te laudari,

TE



TE ad cuius nomen assurgunt docti; TE qui inter Medicos Eloquentissimus, inter Eloquentes Medicos Acutissimus, inter utroque Diligentissimus, inter omnes Maximus, ut de *Galeno Gesnerus* aliquando dixit; TE ingenuarum artium Bibliothecam, TE acri ingenio, subactissimo iudicio, politiori literaturâ insignem; TE Divinum virum, cui omnia naturæ penetralia reseravit naturæ Author æternus. Lege quæso *Martini* opus, & quid ei responsum sit à *Charo Capite* nihil in *Martini* libro reperies præter densam caliginem, & infinitum ambagum Chaos, ut de libro *Avicennæ* tale iudicium ferebat *Manardus*.

Cæterum quas mihi laudes tribuis, Excellētissime Vir, nimis essem suffenus & βάκηλος, nisi ex quo fonte manent agnoscerem, & sic interpetor, quasi me non depingere volueris, qualis sum, sed optimum exemplar præscribere, qualis esse debeam. Tu nostris laudibus majores:

*Non tanti ingenij est oras evoluerè laudum*

*Tantarum, meritisque virum celebrare Camænis.*

Mihi satis erit tuum nomen venerari, & sanctè tui memoriam asservare, & μόνον ἐν μυχῶ φρενῶν, ἀλλὰ καὶ λόγων μαρτυρία. Hisce vale. Φίλτατον Μεσαις κἀρα, Vive Orbi Literato; Vive tuo Serenissimo Principi, & tui nominis splendore, ac famâ implere, ac mearum virtutum Cultorem Devotissimum amare, perge.

Genevæ Nonis Julii.

Agonizante sæculo,

Anno scilicet

1700.

VIRO





V I R O  
*Nobilissimo, & Clarissimo Domino*  
**CAROLO MUSITANO**  
 PHILOS. ET MED. PROFESSORI  
 Eximio, & Amico meo plurimum Honorando.



Bortivos quosdam debilis meæ Minervæ fructus, mei qui ab angusto calami sinu nudius tertius, tuam dùm à Perillustri Domino *Joanne Baptistâ Vulpino* Medicinæ Professore mihi mutuatam omni laude, ac honore semper dignam tuam *Trutinam Medicam* attentè, ingentique voluptate perlegebam, magnum tui erga meritum cecidere (Præstantissime Doctor) tibi nunc offero. Leve nè interim tu quaecumque sit observantiæ meæ symbolum, atque servitutis meæ tesseram munusculum hoc hilari sed accipias vultu, renuas. Exigua licèt dona DEUS O. M. contemnere nescit. Legito interim hæc, expurgatoque tuæ Minervæ palato ingrati saporis, sapientiæ salis privatione licèt perdulcia nimis, forsan non erunt. Homeri *Iliadem* sæpè percurrere Magnus ille non abhorruit Alexander. Magnis, magna convenire meritis dona nemo inficias ibit; Mearum ast paupertati Musarum, quas ab earum palatii limine vix salutavi, venia detur. Dùm ab aliis Parnassi Cycnis præsertim forsan Astensibus magis perbellè, feliciorique sortæ tua incomparabilis laudabitur virtus. Tamen tuæ si benevolentia, oculoque, & non quod modò præbetur inspicere tuo erit in animo, nulli, licèt nomine, in hoc ero Secundus. Mei  
nam



nam animi affectus, quam mei in cordis intimiori parte erga te  
 nutrio, magnitudine aliorum affectibus non cedit, imò forsan  
 superabit (nimis audaci tamen meo adsit venia iudicio.) Firmio-  
 ribus rationibus quidquid tuis versatur inscriptis, nam æternitati  
 scripsisti, probari non poterat. Dùm doctâ incude tui Sapientis-  
 simi ingenii aurum, quod auras ad tenues temporis lapsu non li-  
 quescet, perfecisti. In ignaviæ Antiquorum Galenicorum laby-  
 rintho Ariadnæ tuæ ingeniosissimæ Minervæ filo medicam, quæ  
 olim tumultata fuit felici aleâ, quod aliorum non successit votis  
 vetitatem detraxisti. Igitur si Philippi Macedonis filio majus en-  
 comium Magnum vocari Alexandrum fuit; Ità Magnum Caro-  
 lum, non vasto Regnorum Dominio, variis nec inimicorum vi-  
 ctoriis, ingenii sed acie, morum religione, doctrinæ profundita-  
 te, ac experientiæ culturâ te forsan pariter vocari sufficiet. Tui  
 in honorem nunc Orationem contexere nolo, nam pro vasculo  
 exiret amphora. Quod ingens tui modestia vultus parvâ, quæ sem-  
 per laude gaudet (sapientis animi signum) tolerare potest, aliquid  
 tantummodò mea audet dicere lingua. Igitur saltem cum eloquen-  
 tiæ Principe mihi exclamare fas erit: *Quæ tanta dicendicopia, quòd*  
*tam divinum, ac incredibile orationis genus, quæ quisquam præclaras tui*  
*animi dotes possit non dicam complecti orando, ac percensere numerando?*  
 Laudis igitur tibi aliquid addere potius multa ingenti tuo corpore  
 meritò esset. Nostris quidem temporibus aliqui inveniuntur, qui tu-  
 mido sui ingenii vaporibus veritatis lumen obscurare contendunt.  
 Sed Icari, ac Phaetontis lapsus immemores isti proprii iudicii lumi-  
 ne læsi, nimix suæ audaciæ pœnam, ipsis insciis, luere cogentur. Tu  
 interim tuo in animo gaude, tuæque famæ Detractores pro nihilo  
 habeas, *Vas etenim pleno tinnit inane magis.* Caligines Sol, umbras  
 pictura suis pro hostibus habent, sed à caliginis umbra, umbræque  
 caligine, Solis nitor, Apellisque ars multum sortiuntur augmenti;  
 cùm opposita juxta se posita magis elucescant. Canis latratus Cin-  
 thia non pertimescit, imò magis, magisque sua lumina pandit. Ullam  
 nec surdis molestiam garrulorum ululatus affert, imò ejulationum  
 isti irrident, jocique signo monstrant in ore cachinnos. Sic est (mi  
 Domine) nitidum tuæ Minervæ metallum ex calumniarum igne  
 posthac magis, ac magis posteritati pariet fulgorem, tuaque ex hoc



fama majorem habebit impulsus. Qui nullius sunt ingenii, nullo aut sapientiæ sale sapiunt, si prædictorum spheram, eorum præ ingenii imbecillitate assequi nequeunt, opprobriorum maculis illorum coinquinare honorem omnibus coguntur viribus. Tales invidia parturit fructus; nam si non diu, saltem die se vixisse testentur mala, si non bona opera pariunt isti, propriæque ut consulant famæ, famæ honoris forsan ne pereant illius ad instar, qui æternitati proprium probis actionibus nomen tradere non valens, saltem improbis immortale ut esset Vulcani injuriis, ut in cineres Dianæ Templum in ictu oculi verteretur, tradidit, Minervæ palatium perdere coguntur. Sic est. Quoniam non omnes omnia possunt. Nec Corinthum ut adeat, quæ sufficiant unicuique insunt talenta, hacque de causâ illum contemnere locum apud ipsos sapientis apparet consilii. Veritatis jubar nisi Aquilæ altioris judicii natis explorare permittitur; Cum omnibus intellectus oculus Lynceus non adfit. Cervorum velocitatem, quoniam insitus, pigerque ei est motus equare nequit testudo. Condonandum igitur cæcis ignaviæ Talpis aliquid est, si rutilantem veritatis Solem attingere nequeunt; Nam non omnes omnia possunt, nec qui ad hujus Mundi auras accedunt electionis, omnes sunt vasa, quia sic DEUS Omnipotens disposuit, dum uni duo, alteri quinque talenta ipse donavit. Nè meus est discursus nimis prolixus, ac tædiosus tuis appareat auribus, tuâque abutatur clementiâ, in concinnis quoniam characteribus instructus, Harpocratis ad exemplum ori meo silentii signo digitum imponam, tui nam genii semper colere gratiam mihi sufficiet. Vale, iterumque Vale, utque Nestoreos te D. O M. incolumen ad annos servet, meis semper erit in votis. Te nam vivente majorem in augmentum Medica semper crescat Facultas. Interim me tu in humiliori famulorum tuorum cohorte serva, & non tantum servitutis nexu, quam voluntatis studio mei ad cineres usque dicar. Dominationis Tuæ Perillustris, ac admodum Reverendæ.

Astæ 2. Aprilis

1700.

Humilissimus, ac Studiosissimus

Servus

JOSEPH SECUNDUS VAYRUS

Medicus Astenfis.





*Nobilissimo, & Clarissimo Domino*

**CAROLO MUSITANO**

PHILOS. ET MED. PROFESSORI.

*Humilis*

**JOSEPHI SECUNDI VAYRI**

MED. DOCT. ASTENS.

*CECINIT MVSA*

**IN GALENUM.**

**N**unc Sileas, digito labrum compesce Galene,  
 Vocem dum mittit CAROLUS ore suo.  
 Falsa tua, & veris cedant, nam dogmata dico,  
 CAROLUS ut morbos pellere nemo potest.  
 Jamdudum brevia adfuerant si stamina vitæ,  
 Longa foret Medicis Ars, & Apollinea.  
 Ingenii ast MUSITANI acie fors volvitur ipsa  
 Vita hominum remeat longior, Ars brevior.  
 Gaudeat omnis homo, magis ast nunc gaudeat æger,  
 Sanandi verum dat MUSITANUS opus.



VIRO CELEBERRIMO, EXCELLENTISSIMO,  
 ac Doctissimo I. V. D. Perillustri Academicarum  
 Spenſieratorum Roſciani, Peregrinorum Romæ  
 &c. Promotori.

# HYACINTO GIMMA CAROLUS MUSITANUS

PHILOS. ET MED. PROFESSOR

S. P. D.



Uemadmodum optimæ notæ Academicus est, te Dignissime Promotor, cui summa est in nostris scientificis ſocietatibus adminiſtrandis poteſtas illorum Librorum, quos typis cudere accuratiùs meditor, certiorẽ facere; ita meæ ſunt partes tibi ſignificare, quĩnam de alienis laboribus apparent, & ut Critici eos dilaniare audent. In meis ego operibus perpetuò fui veritatis, non autem Authorum Sectator, & in meis ſtabiliendis ſententiis magis rationi, & experientiæ, quàm Scriptorum magnæ ſeriei authoritatibus adhærere conſentaneum dijudicavi, & hos ſuſtinentes tyrannidem per multa ſæcula magna vulgarium grex ſectata fuit, & tanquàm oves antecedeĩtem gregem ſectantur. Atqui meus ſtylus mucidæ antiquitatis authorum reſiduo cordi non fuit, qui his noſtris diebus rari apparent. Inter hos extat quidam urinæ mediculus, cui nomen eſt *Petrus Antonius de Martino Geofenensis* abjectiſſimi ingenii homuncio, & inutile Terræ pondus, cui vix medicina pro quotidiano cenſu obolum ſuppeditat. Eſt hic Deformis, Lividus, Lurida mortis Imago, Macilentus, Cogitabundus, Triftis, Solitarius, quem ex his notis quiſque delirió obnoxium eſſe non ægrè animadvertere poteſt. Ex hac in ſtultitiã propenſione fors tulit, ut meam legeret *Trutinam Medicam* Venetiis impreſſam Anno 1688. ſuperquam diũ deliravit, non inveniri, qui eam oppugna-

ret.



ret. Post octo annorum studium in scenam emerfit volumen barba-  
ro-latinum cimmeriis dignissimum tenebris, cui bardum agglutinavit  
titulum : *Responsum Trutinæ Medicæ Musitani*, sed illud edidit monstrum  
ab *Horatio in arte Poeticâ* descriptum :

*Parturient montes, nascetur ridiculus mus.*

Perperam inter cordatos medicinæ proceres recenseri fuit imagina-  
tus, sed consequutus est, quod Asini stercorebus evenit :

*Nos quoque poma natamus.*

Magnum opus Orbi Litterario, & reipublicæ medicæ statuit, sed  
aliter ignavia tulit, nam ut idem *Horatius* inquit :

*Amphora cæpit*

*Institui: currente rotâ, cur urceus exit.*

Ac proindè nunc vile, & non venale in Tabernis **Cæsariis** nullius  
pretii prostrat ; ejus eò crevit insania, ut quidem dignus sit commi-  
seratione ; Olivetum namque, ut hunc libellum pro se ipso famosum  
curaret cudendum, non sine magno suæ familiæ detrimento vendidit  
pro incerto certum, pro mobilibus bona stabilia absque spe redimen-  
di alienavit. *Lucio Apulejo* ipsum experior oppositum, ille enim sub  
forma Asini erat homo, & *Martinus* sub hominis formâ est Asinus. E-  
go eundem rebar hominem, sed reverà est Asinus Balaam, Ineptus  
Grammatista, non recensendus inter medicorum aulam, sed inter  
caulam, Imperitum Veterinariorum Spectrum, Detractor Mendacis-  
simus, Arrogans, Marcidus Impostor, Fœtidus Nebulo, Sanguina-  
rius Carnifex, Equarius Medicus, Ridiculus Musitano-mastix, & Mi-  
serabilis Censor. Indi indoctum sub Ascalaphi cæci, surdi, muti, &  
omnibus exutipennis specie effingebant, qui per tenebras volitabat,  
& super vacuum assidebat. Non absimilis est *Martinus* idest judicii  
Ascalaphus, intellectu Cæcus, ingenii Surdaster, ratione Orbatus,  
omni bonâ doctrinâ Vacuus, omnibus sensibus interioribus Obtene-  
bratus, & propter antiquitatis tenebras Insanus, nec aliud deest, nisi  
ut sit Mutus, cum sit nimis Garrulus, & rancidæ medicinæ Pſittacus.  
Trutinantis sensum, & mentem non intellexit, muscas in aëre vena-  
tus fuit, ideò blaterat, & extra choream tripudiat. Ejus miseresco,  
ejusque doleo insaniam, sed maximoperè ejus insimulo temeritatem.  
Non est medicus *Martinus*, sed medicinæ mendicus, qui medicinam  
vix à primo limine salutavit ; neque **decrant me** licæ facultatis pro-



ceres, qui Galenicorum suscipere patrociniū, & calamum in meam *Trutinam* arriperent; at semper nequior caulæ canis latrat. Si est insanus, insaniâ suâ pascatur animus: si propriâ pelle contentus, Sapientis pelle se non induat. Aliena rei medicæ opera appositè, & Orbis Litterarii plausu confutare non omnibus, sed paucis datur, *Martino* autem illa tantum arietare, non verò impugnare permittitur: ideoque ut *Venusinus in arte Poeticâ* inquit:

*Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.*

*Et lib. I. Epist.*


*Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*

Utinam resipisceret *Martinus*, suisque consuleret rebus, & calamum, quo totam Galenicorum Synagogam conspurcavit, ubi cervi cornua, abjiceret, atque ad consuetum rediret ligonem. *Hyacinthe* igitur vir Clarissime, opus Martinianum, quod tibi mitto, mox typis editum Neapoli, ociosis horis, pervolve, tuisque studiis in conscribendam Encyclopædiâ, seu scientiarum omnium Orbe, quasi Celeberrimâ Bibliothecâ, à doctioribus non paucis expectatâ (quam utinam citò evulgares) intermissis, perliba; si tamen tibi est in similibus insultatibus terendi tempus. Non me fugit tuum palatum pretiosis Sapientiæ epulis assuetum resputurum illiterati Critici ita abjectum obortum, cui prima Grammatices Rudimenta desunt; poteris præindè aliquantisper tamen oculis perlustrare, quia tuæ eruditæ lucubrationes ad hujus Responsi *Trutinæ* Medicæ comparisonem videbuntur dulciores, & jucundiores, illos æmulans pictores, qui ut alicujus mulieris venustas magis elucescat, propè deformem depingere solent. Et si in hoc famoso libello Martiniano à Revisoribus ejus ineptiarum, & errorum grammaticalium nimium misericordibus non sufficienter expuncto, colligere non poteris è stercore gemmas, ut ex *Ennii* operibus faciebat *Virgilius*; saltem tamen ad cachinnos ingeminandos ansam habebis, perspiciesque etiam bardes Sapientiæ amictu se induere audere, ut inter virtute præditos compareant. Vellem profectò suam retundere insaniam, nè cum suis triumphum caneret, & cuncta ad hoc mihi suppetunt; attamen quia in me, societatesque nostras tua quammaximè valet authoritas, quid à me factum cupias, paucis aperi, tuonamque judicio addam calculum. Interim vale, vive, meque constanter ama.

Neapoli Kalendis Julii 1699.

VIRIS





VIRIS CELEBERRIMIS, ET ERUDITISSI-

*mis Medicinæ, ac Anatomæ Restauratoribus, & in*

*Republicâ Genevensi Professoribus*

DANIELI CLERICO

ET

JOH. JACOBO MANGETO

*Amicis meis Perpetuum Colendissimis.*

CAROLUS MUSITANUS

L A T R I A S P R O F E S S O R

S. P. D.



Mnia tempus habet, & temporis cursu cuncta  
vicissitudinem in Orbe patiuntur: nosmet æta-  
tum successu novos mores, novas cogitationes,  
novasque animi indoles subimus; & hominem,  
qui in puerili, juvenili, & profectioni vivit ætat e,  
in consistenti, & occiduâ alium, & totum de-  
generem ab illo quisque intuetur, & tandem  
fato concidere necesse est:

*Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis.*

Veterum dogmata, quæ per aliquot mille annorum ætatem gloriosè  
sustinuerunt, postremò suâ ruerunt mole, & Græca Sapiencia, vete-  
resque doctrinæ jam factæ sunt aniles. Sola Galeni doctrina propter  
duodecim sæculorum cursum in hominum phantasiis altissimas fixit  
radices, & nunc mucida in paucissimis hirco pervicacioribus viret,  
quia est caloris, & frigoris inventum, quod indoctorum ingenia fa-  
cilè tenet. Primi illi homines glandibus vescebantur, & etiam modò  
hujus



hujus farinae reperiuntur homines, qui spreto pane, tanquàm sues ad primitivas confugiunt glandes. Natura nostris hisce temporibus medicinæ ærarium primoribus medicis in propatulo posuit, undè nova emerferunt phœnomena, quæ nunquàm prisca ætas excogitare potuit, adeò judicio subacta, ratione perspecta, experienciâ confirmata, & usu recepta, ut ambigere valdè sit temerarium: adeò novam medicaminum supellectilem ipsamet natura Chymix ope citam, tutam, & jucundam detexit, ut qualiumcumque morborum sanationes, obstupente Pandorâ, felicissimè succedant, undè lepra, cachexia, hydrops, diabetes, asthma, Lues Venerea, ipsissima pestis, &c. quos nunquàm præterita ætas expulsos agnovit, nunc pollenti recentiorum remediorum entelechiâ debellati, & à corporibus exterminati conspiciuntur: imò non exilis morientium numerus, acquisitis summæ energiæ arcanis, ad vitam revocantur. Nec Galenicorum armentum resipiscit, & ad meliorem se recipit frugem, sed in eadem perfidiâ vivit, & perit, & tanquàm sues isti Sectarii semper profundius in quatuor humoribus, aliisque spurcitiis obvolvuntur, ut hircines pravo se nutriunt sanguine, ceu scarabæi stercoribus saginantur, & ex his lauta parant fercula. *Galen*i doctrina Atheismum sapit, atque Christi scholæ adversatur, quamobrem illius dogmata à Christianorum mente ableganda. Fuit *Galenus* Atheus, ut patet ex libro, in quo probat *animi mores corporis temperaturam sequi* cap. 3. Et lib. 3. de diff. puls. cap. 3. Sectariorum comparatione Christianorum in omnibus adversis ad mortem usque irridet constantiam. Et lib. 2. de diff. puls. cap. 4. Moysi, & Christi scholas obtrectavit, & tamen isti antiquarii medici de errore, in quo versantur admoneri, & resipiscere nolunt, sed more pecudum eunt, quò itum est, & non quò eundum. *Aristoteles*, & *Theophrastus* in summâ habentur veneratione. *Galenum* etiam fortassè (ut inquit *Eusebius* lib. 5. *Historia Ecclesiasticæ* cap. 27.) nonnulli summè venerantur. Hi ergò tùm infidelium artibus ad erroris sui sententiam roborandam abutuntur, tùm solerti impiorum astutiâ, & subtilitate simplicem, ac synceram divinarum scripturarum fidem adulterant. Hinc ego Christianâ pietate motus *Galen*i, & Sectariorum prava trutinavi dogmata, & eorum crassam Minervam, & falsitatem detexi, nec proindè aliquibus profeci, quia in eadem damnatione mori destinârunt, esto eorum pravam doctrinam



trutinam funditùs everterem ( absit jactantia, ) & solo æquaverim :  
 attamen Galenistarum Synagoga dentibus in me stridebant, & ve-  
 luti canes ringebant, ego ridebam, & illi rabiem simulabant, nec  
 quisquam, qui *meam Trutinam* oppugnaret, inventus fuit, tantùm  
 quidam Homulus Mulo-Medicus *Geosonensis*, *Petrus Antonius de Mar-*  
*tino*, Galenistarum Opprobrium temerario ausu calamum in *Tru-*  
*tinam* exacuit, ( præstatet Sarculum, non Calamum exacuisse ) ve-  
 rùm iste simplicissimum fovet Idiotismum, & tamen Sciolus haberi  
 affectat, & falsâ opinione veluti turgida bulla, sed intus inanis, in-  
 tumescit. Penè innumeras in grammaticâ commisit hæreses, or-  
 thographiamque everfit : sed quas doctrinas in lucem edere potuit  
 iste, si nec *Hippocratem*, nec *Galenum* legere scit ? Legit, ut *ASINUS*,  
 quem *Augustinus de Suesa* docuit, sed ab asino lanam, O' barbaras,  
 & antiquis sæculis inauditas doctrinas. O' resupinatam ignoran-  
 tiam. O' Temerarium, & Miserabilem Censorem. *Trutina* dog-  
 mata non intellexit, confutationes non percepit, & rationes non  
 enodavit, sed in suo robore permanserunt, quia perperam accepit,  
 ideoque extra rem locutus. Sicut Poëta ille, sua carmina, quia in-  
 concinnè figulus decantabat, omnia vasa, quæ ipse finxerat, con-  
 frinxit : ità, quia *Martinus* inconditè scribens, in *meam Trutinam*  
 latravit, & ceu *ASINUS* rudit, profectò illi deberem cucurbitinum  
 conterere caput. Scribendi occasionem in *Trutinam Martinus* de-  
 clarat in sui operis præludio, ità inquires : *Trutinans usque adhuc,*  
*contra Galenistas, & omnes Peripateticos mordaci sonitu epicinium canit ;*  
*maximaque audacia tumefactus Galenum percussit, realem philosophorum*  
*scholam offendit, medicaque facultatis excellentiores patronos livido ser-*  
*mone deturpat, & deturpatos deludit.* Et paulò infra inquit : *Hinc, ne*  
*tanti facinoris, opus, relinquatur inultum, sive ut mea promissioni satis-*  
*faciam qua tempore mei doctoratus, Salerni, gratia suorum, medicina an-*  
*tistitum peracti promisi, quousque reget os, dum spiritus arctus, semper*  
*Peripateticam, & Galenicam tutari sententiam.* O' eximium rabulam,  
 ò præclarum advocatum, ò fœcundum patronum ad *Aristotelis, &*  
*Galenipatrocinium* ! Collegii Salernitani Barbatissimi Patres tem-  
 pore doctoratùs jurejurando tyrones, ut jurent in verba *Galen*, in  
 verba *Athei*, cogunt, & ex hoc capite *Martinus* magistrum *Galenum*  
 tueri conatur. Prætereà *Martinus* ex benignitate Collegii doctoratus



diploma recepit; textum enim recitando, à præfationis principio ad finem usque quot verba protulit, tot in grammaticâ enunciat erroribus, & pluries memoriâ defecit, & lingua faucibus hæsit; undè à Barbatis Patribus octo nigras habuit fabas, & reprobus effectus singultiens in lacrymarum imbrem misellus meliorem animæ partem solvebat. Hinc Salernitani Patres ejus ignaviæ temeritati conjunctæ miserti, in lacrymarum, & amicorum gratiam gratiosè ad doctoratûs apicem evexerunt, & in ignorantie pœnam pro Laureâ corollâ diademate ex helsine, & linozoste redimitus tempora in Collegio apparere necesse fuit, & ipse pro tot sibi collatis benefactis se publico chirographo devinxit Salernitanum Collegium defensurum, *quousque reget os, dum Spiritus arctus*. Non tantum *Trulinam* non expugnavit, verum nec oppugnavit, sed sanguinis gyrema puerilibus argumentis insufficientibus rationibus, nullâque autopsia armatus temerè laceßere ausus fuit contra omnem evidentiam: atqui quanto cachinno exceptus, delusus & exhibitus fuit, nec tot erubuit contumeliis; hinc ò felicem vultum (in non apprehendendo ignominias, si felicitas in ignominias reperitur,) ò ejus inquam felicissimum vultum, qui ex tot ignaviæ coloribus nunquam colorari potuit, nigrum enim est coloris incapax. Hoc admiror hunc per tot ignominias nunquam æstimationem amisisse, quia hanc nunquam habuit; non enim quisquam, quod non habet amittere potest. O' summam idiotarum felicitatem! Non ego, Peritissimi Domini, *Martinum* ad literariam provocavi palæstram, quia est tanquàm *Asinus* ad lyram, & ineptus non impugnatur, sed deridetur, nec ad improbandos ejus errores argumentis utar, sat alii Clarissimi Viri crassam hujus doctoris ignorantiam, & errata exhibilavêre. Vobis, Excellentissimi CLERICE, & MANGETE, omnis consummatæ sapientiæ Viri, duo majora Medicinæ & Anatomies luminaria, qui omnem in studiis ætatem contrivistis, vobis tantummodò officiosa natura sui ærarii custodiam demandavit, quod penè nunc exhaustum conspicitur, & in plura volumina foro medico accepta, & collaudata ita redactum, ut jure merito vestro labore, & industriâ sub umbrâ anatome, & medicinâ quisque citra laborem vestris in voluminibus in lucem editis frui potest; Vobis, inquam, Martinianum opus, *Responsum*



78

*Trutina Medica Musitani* mitto, ut miraculum in naturâ admiremini  
ASINUS peperit, ac Brutale hujus doctoris non cordati, sed Co-  
dati Ingenium contemplemini. Hic libellus in authoris convi-  
cium cessit, & sæpè uniusignominia est alterius gloria. Jactabundus  
scripsit, cupiens ex hoc libello vulgarem captare gloriam, & apud  
omnes ingenio celebrem, & admiratione dignum existimari, sed  
sibi met opprobrium fecit sempiternum. Legite, omnigenæ eru-  
ditionis peritissimi Domini, quodcumque sit hoc bardum Marti-  
nianum opus, non enim nocebit, si animum præcipuè in meliori-  
bus indefatigabilem studiis quandoque oblectare, & post seria in  
jocis, & cachinnis tempus traducere affectatis, Galenistam ridi-  
culum magistro *Gryllo* non absumilem invenietis, & tandem hujus  
*Martini* inepta doctrina erit ita dulcis velut philomelæ cantus, sed  
philomelæ rudibilis in mense Maii. Tandem Encyclopedici Viri,  
Valete, vivite, meque constanter amate.

Neapoli ex Museo  
1x. Kal. Junii  
1700.





*V I R O   C L A R I S S I M O*  
*Medicinae Professori Experientissimo*

D. DOMINO

CAROLO MUSITANO

S. P. D.

DANIEL CLERICUS



Umbras Tibi ago gratias, Vir Excellentissime, quod me in Doctorum Virorum albo adscribere dignatus fueris, quos veluti disceptatores elegisti in lite à nescio quo, medicum se fingente, Tibi nuper mota. Is sanè honos à Te mihi habitus cui impar omnino sum. Sententiam tamen rogatus, quid super hac re cogitem paucis aperiam. Adversarii tui sortem non possum, non dolere, qui, sibi uni sapere visus, dum nihil nisi Veteres & Veterem Medicinam crepat, quid sibi velit nescit. Si ipsi probè nota esset omnis Veterum ratio, imò si Veterum, quos tantopere extollit, vestigiis insisteret, eum neutiquam infestum haberes. Maxima semper libertate, ab omni ævo, mihi videntur usi Medicorum filii in admittendis, pro arbitrio, vel rejiciendis decessorum suorum placitis. Ut ab *Hippocrate*, qui Artis nobilissimæ fundamenta jecit, ineipiam, an ille, propriæ familiæ, utut Diis originem & artem suam acceptam ferentis, luminibus contentus, sæculi sui inventa repudiavit? minimè



minimè gentium, sed Asclepiadarum suorum *Observationes* Philosophiæ, quæ modò illucescere cœperat, face illustrare in animo habuit; quo ipse ex Empiricorum, quales erant proavi sui, subselliis ad Medicinæ nascentis dictaturam evectus, immortale sibi nomen fecit. Nec idè ipsius scitis usque adeo acquievêre illum proximè secuti, ut nihil sibi præterea exquirendum arbitrati sint. Quin vix elapsum est integrum sæculum cùm *Chrysippus* Cnidius, novâ methodo medendi usus, non phlebotomiam modò, sed & καθαρσιν, duo inconcussa Asclepiadæ Medicinæ fundamenta, subversum ivit, quo in consilio adstipulatorem habuit, famâ Hippocrati secundum, *Erasistratum*, Discipulum suum. Tum simul, improbo labore infessoque studio excoli cœpit *Anatome*, Hippocratis tempore admodum rudis, non modò à laudato *Erasistrato*, sed & ab *Herophilo*, quem eo nomine summis extulit laudibus Vetustas; quique dum disciplinæ istius pomœria pro virili ampliat, *pulsuum* scientiam, eidem Hippocrati penè ignotam, curiosè tradit.

His ita se habentibus, cùm Antiquitas, ut *Plinii* verbis utar, *arrare videretur firma*, duobus post sæculis, Pompeii Magni ætate, exortus *Asclepiades* Prusienfis, atque in Veteres omnes debacchatus, Democriti Philosophiam in Medicinam introduxit, unde nova subito toti arti facies. Ab eo tempore novæ subinde sectæ, inter quas *Methodica*, auctore *Themisone*, præcipua, novas medendi leges condere non cessarunt; quas, in Scenam, sub Marco Aurelio, ingressus *Galenus*, omnes profligare, atque *Hippocratis* Medicinam restituere aggressus est. Utrum à scopo aberrarit nec ne; an sua pro *Hippocrateis* venditârît, non est jam inquirendi locus. Hoc unum observasse sufficiat, tantam ejus fuisse auctoritatem, seu, ut veriùs dicam, tantam fuisse succedentium Medicorum segnitiam & vecordiam, per integra propemodum decem sæcula, ut nihil planè novi ab iis inventum sit, donec tandem caput extulerunt *Arabes*. Ii sane, Galeno cæteroquin addicti, *Alchimiã*, artem antiquam medico usui accommodare cœpisse videntur. Quæ ab eo tempore, superiori scilicet & hoc nostro desinente sæculo, arti nostræ accesserint, seu *Chymiam*, seu *Anatomen*, seu rectiorem de aliis omnibus ad eandem artem spectantibus judicandi rationem attendas, lippis & tonsoribus notum est.



Haftenus dicta adversario tuo, Vir Excellentissime, ritè pensanda erant, ut disceret quo pacto dies diem docuerit, & videret omnibus semper licitum fuisse partam quam nacti erant ornare, nec ulli præreptam occasionem Veterum placitis aliquid addendi, aut ea, pro lubitu, corrigendi. Id sibi juris Veteres ipsi, ita nobis vocati, cùm tribuerint, respectu antiquiorum, quidni & nos eo gaudeamus non video? An è contra, servili modo, ne latum unguem ab eorundem Veterum sententia decedemus, & quia sanguinem, pretiosum illum vitæ laticem, in circulum indefinenter agi ignoraverunt, oculis nostris super hac re non credemus, aut quia Chymica non tractârunt, ne aquam quidem rosarum stillatitiam attingemus? Absit ut unquam talia & tam absurda meditemur, quin egregiis temporum nostrorum inventis frui, & ea, pervicaci stultitiâ, non admittentes, non ad βαλανή-Φάγες modò Arcadas, ut Tu censeres, sed ad Anticyras ipsas amandare liceat. Ita affectis reditum in sanio rem mentem exopto, Tibi verò qui gravissimi eorum morbi causarum & remediorum momenta, eximiâ Tuâ *Trulinâ*, ponderare apprimè nosti, fausta omnia animitus adprecor. Vale, Vir Excellentissime, & eorum loco habe, qui excelsissimi ingenii Tui dotes, omni ex parte, suspiciunt.

Ex finibus Allobrogum

5. die Julii anni

1700.

Tibi addictissimum  
CLERICUM M. D.

KIRO





*VIRO NOBILISSIMO,  
Præclarissimo Domino D.*

**CAROLO MUSITANO**

*I A T R I A S P R O F E S S O R I*

*longè Celeberrimo*

**JOHAN. JACOBUS MANGETUS**

*S. P. D.*

**N**on est quod mireris, Vir Clarissime, si inter tot Genii tui verè in Medicis excelsi gratos susceptores unus assurgat Dominus *Martinus* multorum plausibus infensus. Veritas jam ab ipsis mundi cunis non ita universim exulta est, quin suos omni tempore & contemptores & hostes nacta sit, Solque etiam ipse splendidissima Omnipotentis manus creatura generis humani maximo bono efformata inter admiratores, imo etiam adoratores, ingratos vidit populos qui non tantum maledictis ipsum afficerent, sed etiam telis suis, si ita per vires longè inferiores licuisset, impeterent. Cerebrum idem non omnibus concessum, atque non minor in ejus constitutione intima, quam in vultus lineamentis reperitur varietas, unde tam varix in scientiis exurgunt sententiæ, imo quandoque sententiarum monstra, quarum authores quibusdam irridendi, multis sanè ac forsitan æquioribus miserandi videntur. Horum exemplo, Vir Clarissime



sime, contra Antagonistam tuum bilem non movebimus, aut sarcasmis ac maledictis pugnabimus, ipsius potius sortem deflentes, qui ignobilioribus Veterum malè intellectorum, armis, nihil minus quàm omnium Neotericorum, meditetur triumphos, infirmisque suis machinis quod maximè inexpugnabile, in munitissima, quam solidis veritatis Medico-Chemicæ muris armatam defendis arce, falsa spe delusus confidentius aggrediatur, meliorem mentem ipsi sincero exoptamus animo, ut aliquando Doctorum, ac cordatorum choro adscriptus, futilitatum & ineptiarum quas tam seridè ac fastuosè hodiè tractat, ipsum pudeat, & eorum quibus hactenus tam imperitè, imò dixerim ferociter contra Excellentiam Tuam chartas suas commaculavit, memoriam, non minus quàm mali somnii ideas, promptè excutiat, verèque tum sapiens, & divitiarum quas in amentia sua possidebat contemptor, nobis non exprobrer quòd votis nostris illas sibi eripuerimus, ut ille apud Horatium qui

*In vacuo latus seffor plausorque theatro*

postquam cognatorum opibus curisque fuit refectus, & ad se rediit

*Pol! me occidisti, amici, non servasti, ait,*

*cui sic extorta voluptas,*

*Et demptus per vim mentis gratissimus error.*

Tu interim, Vir Clarissime, macè animo esto, & caniculas illas, ipsius etiam magni luminaris splendori allatrantes nullatenus moratus, vigiliis tuis veros Philiatros non minus beare perge, meque Tui admiratorem ac cultorem observantissimum amare non desine.

Dabam Genève die Julii

6. Anno 1700.

ALLOCU-





# ALLOCUTIO

AD VIRUM

*Celeberrimum, & Reverendum*

DOMINUM

## CAROLUM MUSITANUM

MEDICINÆ PROFESSOREM.

**S**I vacat à morbis nostras audire Camœnas  
 Nec nimius medicam postulat æger opem.  
 Accipe, quæ faciles scribunt tibi carminæ Divæ  
 Nec, mihi quæ levis est, sit tibi Musa gravis.  
 Quid Responſa paras MARTINO GEOPONENSI  
 O Tu, qui nomen, quâ patet Orbis, habes.  
 An ne times, ne te famâ super æthera notum  
 Obscuret Libro, Barbarus iste, suo.  
 Haud faciet, non si totum Phlegetonta moveret,  
 Ipse prius gelido flabit ab axe notus.  
 Cum tali pugnare viro non te decet unquam,  
 Atque tuæ dextræ verbera non meruit.  
 Sylvarum Terror Leo trux animalcula spernit,  
 Imbelles, & aves fida ministra Jovis.  
 Parce igitur ferro, capulo tenus abdito, & ense,  
 Esse Sacerdotem te memor esto precor.



Mysta verende hujus MISERERE, ET KYRIE ELEISON

Propter MARTINUM dicere ne renuas.

Qui Peccatores solvis sua crimina ad aurem

Narrantes, PETRUM solvere ne dubites.

Injunge, & rigido liventia terga flagello.

Verberet, & largis imbibus ora riget.

Perque novem luces expers potûsque cibique

Vescatur tantum rore mero ac lacrymis.

Tu qui cognoscis, quicquid medicina recondit,

Huic ægro medicam, quam potes, affer opem.

Pharmaca multa para, catapotia mille, trochiscos,

Misce melampodium, fiet, & alter homo.

Datum Krusvick

24. Junij

1700

C L A





CLARISSIMO, ET REVERENDISSIMO  
DOMINO  
CAROLO MUSITANO

De Galenismo Triumphanti

ELOGIUM.

Audi Lector Humanissime  
Vox Sanguinis de Terrâ Clamat,  
*Vindica Domine Sanguinem nostrum, qui effusus est*  
Proh Nefas!  
Silet Medentûm Cœtus  
Et decem sæculorum decursu, à quo GALENUS  
Trucem lanienam aperuit  
Semper Obmutuit,  
Audivit tandem Apollo  
Et misericordiâ motus PARACELSUM dimisit  
O' quantum obstrepuit iste,  
Et humaniori ad sanitatem detecto calle  
Paravit viam Domino  
HELMONTIO  
Crepuit, & Increpuit  
Neotericorum COUS  
Cruentamque in sectam ad necem usque contendens,  
Hanc ferè destruxit, aliam instruxit  
Accurrere  
Ultimis è Mundi Plagis suppetias daturi  
Solidioris Sophiæ Alumni  
Multum egerunt, sed non peregerunt,  
Multum adhuc restabat Operis,  
Quandò



## CAROLUS MUSITANUS CASTROVILLENSIS

Lucem Aspexit.  
 Plaudite purioris Iatrices Philatri,  
 Hic tandem aperto Marte, invictâque Minervâ  
 In Sanguinarios confurgens  
 Et Spagyricæ, Medicæ, Chirurgicæ, imò Theologicæ  
 Parthenopæâ in Arenâ indefessè desudans,  
 Plenum pollicetur Triumphum.  
 Sic Ethnicam Fidelis  
 Atheistam Sacerdos,  
 Prosterbens.  
 Qui incruento holocausto Coeli fores jugiter pulsat,  
 Incruentum pariter firmabit artem.  
 Undè Jcovè gratus, Sanis gratior, Agris gratissimus;  
 Artem tantoperè exosam,  
 Reddet Jucundam.  
 Age ergò amice Lector,  
 Et ut eâ quâ fungitur Authoritate,  
 Inexpiabili Anathemate  
 GALENO cum Affeclis ad Gehennam  
 Proscripto,  
 Cruentam sitim quâ semper exarsit,  
 Stygijs in Undis  
 Æternum bibens  
 Nusquàm extinguat  
 Precare.

Astæ è meo Musæo,

8. Septembris,

1699.

JOANNES BAPTISTA  
 VULPINUS  
 Medicus Astensis.

V I R O





V I R O

CELEBERRIMO, ET EXPERIENTISSIMO,

DOMINO D.

AVUNCULO MEO

CAROLO MUSITANO

PHIL. ET MED. PROFESSORI.

**D**um procul à curis, longâ dum pace tenebar,  
 Nec agitata malis, nullo turbata dolore  
 Mens esset: tunc rura mihi, collesque repostos  
 Inveni, quos myrtus amat, semperque virescens  
 Laurus fronde novâ, & Zephiri motantibus umbris.  
 Hos inter colles lenis, quos aura fatigat,  
 Aura Favoni lenis, foecundissima campis,  
 Mons sublime caput liquidum super æthera tollit.  
 Hinc fontes gelidi, hinc tenues per gramina rivi  
 Procurrunt, lento fugiens procul unda sonore;  
 Terra ferax fructu, gravis, & bis una racemis  
 Conspicitur, germenque corymbus Sacer Jacco,  
 Serpit, & incertas inducis collibus umbras:  
 Hinc secura quies animi, & præclara laborum  
 Dona Dij posuere, suas hic inclyta sedes  
 Constituit virtus, melioris, & ocia vitæ.  
 Fert fama, hæc primùm gentes ab origine primâ  
 Sacra Deo statuissè loca, undè oracula vates  
 Rendebat Deus ille, suo, qui numine mentes,  
 Inspirat nostras, & dat ventura videre:  
 Fortè ego dum vellem Phœbi penetralia adire,  
 Et numen venerari; tum mihi visa repente



Non procul ex adyto, quod plurima laurus opacat,  
 Effigies miranda Dei redimita coronâ,  
 Circumstant illi charites, Nymphæque decentes,  
 Musarumque chorus, junctis per mutua palmis;  
 Obstrupui, & vani species objecta timoris  
 Impulit in nemus, umbrisque occultavit opacis.  
 Intereâ Sanctis præsentia numina votis  
 Dùm taciturnus adoro, talia Magnus Apollo  
 Verba dedit, clarâque sonat per æthera voce:  
 Inventum medicina meum, hanc tractavimus ipsi,  
 Dique, Deæque omnes, fuit hæc mea gloria prima  
 Naturæ monstrâsse vias, quovè ordine cuncta  
 Jàm moderata: suo æternâ nunc lege ferantur.  
 Ipse ego pallentes animas jam tristia Ditis  
 Pulsantes Regna, & fœdæ loca devia noctis  
 Ad superas revocavi auras: bis mare per undas:  
 Bis Erebi portas: sævos bis visere manes  
 Hæc valuit manus, atque hæc novit sola medelas;  
 Et certas artes, quibus incorrupta per ævum  
 Alma salus durat, superâque hac vescitur aurâ.  
 Haud dubitanda fero: terras Orbemque revolvi,  
 Ex quo primùm ego, & ex summo de margine Olympi  
 Emersi, rutilante comâ, radioque corusco,  
 Mille aras, sanctasque preces, & vota quotannis  
 Intistuerè piæ gentes, nevè ultima Mundi  
 Abdita pars aded Terræ est ignota per undas,  
 Quæ delubra mihi, & meritos haud sanxit honores:  
 Sola mihi semper fuit illa infensa propago  
 Infusi senis, alloquio gravis, atque repexam  
 Canitiem menti mulcentis pectora ad usque  
 Illa sacras artes, & numina nostra profanis  
 Tractavit manibus, sceleravit, & ore nefando.  
 Ah quantum potuit nefas, & spargere in omnes  
 Oras una *Galen*i ars exitiale venenum!  
 Gens inimica Deûm, & toro execrabilis ævo,  
 Spargit in incautas hæc falsa oracula gentes.



Dira lues miseranda magis contagia, tabes,  
 Tot mala, quæ latè nostrum sunt sparsa per Orbem,  
 Astrorum vitio verti; nam lumine Titan  
 Æthera dùm liquidum, tellurem, atque æquora ponti  
 Vectus equis lustrat, radiisque inferna pererrat,  
 Ipse movet, turbatque situ primordia rerum,  
 Ipse pater morborum est, ipse & originis author,  
 Et sedes mutare suas cuncta astra priores  
 Novimus, & vacuos coeli tabescere tractus,  
 Undè nova emersere citò contagia terris,  
 Illa fuit, quæ tantum est ausa, & ruta per ævum,  
 Hoc potuit scelus, & terris immittere pestem:  
 Undè genus mortale adverso Numine tantum  
 Æumnarum pertulit, & malè sana malorum  
 Gens ignara doli, est longam tot passa per ævum.  
 Quod felix, faustumque fiet, mihi nomina in imas  
 Inferni sedes damnare, & mittere in umbras  
 In mentem venit, scelerique piacula digna  
 Ferre sua. Ah! potuit tantum suprema gementum  
 Vox illa incassum toties effusa per auras:  
 Parce precor Pæan jo, concede mederi,  
 Pæan ò medice jo, Pæan pone sagittas;  
 Flectere jam tandem valuit, nevé irrita Numen  
 Vota meum fecit, sævamque avertere pestem;  
 Undè ego magnâ mente virum, qui talia possit,  
 Delegi, & lapsis unus succurrere rebus:  
 Hic MUSITANUS erit, cujus præcordia Titan  
 Hoc effinxit meliore luto: hic est optimus ille  
 Naturæ interpres, Phœbeæ, & maximus artis  
 Vates, qui dabit exitio male visa *Galen*  
 Nomina, totque leves nugas, artemque profanam  
 Hinc ego cælesti contingam pectora flammâ,  
 Divinamque sacro lustrabo lumine mentem.  
 Vos mihi dilectæ nimium, nimiumque sorores,  
 Parnassique decus: sic vobis semper Apollo  
 Sit facilis, vestrisque adspiret Juppiter oris,



Vos quoque cælesti conspergite pectora rore.  
Arrisêre Deæ, & placidum dedit æthera melos :  
Aurea restituet cunctis sua sæcula terris.  
Respondent Sylvæ, ingeminat Nemus, aſſonat Echo:  
Aurea restituet cunctis sua sæcula terris.  
Intereà aura levis, laurusque Dei alma vicissim  
Carmina conduplicant apto modulata susurro,  
Dùm magnum Numen nubes velabat opaca.

Neapoli 10. Octobris

1700.

JOSEPH MUSITANUS  
Med. & Chirurgiæ Professor.

D. C. A.





D. CAROLUS MUSITANUS

4.

444.

760.

1208.

*Anagramma Numericum*

I A T R I Æ E X A C T A , A C L I B R A T A S T A T E R A

204.

410.

4.

213.

377. 1208.

EPIGRAMMA

S At nimis invaluit medicina cruenta Galeni,  
 Exulet ut, Mundo CAROLE præbe tuam.  
 Pro incerto is certum haud librans vult linguere, vitam  
 Hanc det ut, exhausto sanguine dimidiat.  
 Tutius amissam S T A T E R A E X A C T A salutem  
 Reddi autopsyia jure L I B R A T A probat.  
 Quam bene libraſti I A T R I A M in secla futura  
 S T A T E R A hac uti noscet ubique volens.  
 Parca tibi parcat, vitam concedat Apollo,  
 Vitæ qui multis stamina viva paras.

Genuæ 2. Kalendis Junij

1700.

Frater

MATTHÆUS à CADRALIO  
 Capucinus Pedemontanus Provinciae,  
 & Medicus.

M

IN





*In lode dell' Istesso Signore*

**CARLO MUSITANO**

*Celebre Professore di Medicina nella Città di Napoli*

**SONETTO.**

O Tu cui dier le Muse il nome loro,  
E Febo il don di risanar concesse  
Ed in virtù del merto tuo t'ammesse  
A dar le Leggi d'Esculapio al Coro.


Chi doni à tua virtù premio decoro?  
Apollo sol, che te ministro elesse  
De' grandi arcani suoi: le Muse istesse  
Porger ti ponno il meritato alloro.

Or piu non fia, ch' ad un mortal che langue  
Con tor sangue dar vita alcun pretendi,  
Se piu ch' il mal rende il rimedio csangue:

D' Igica i mister Tu sol' intendi,  
E con leggi piu sante al' Vom dal Sangue  
Conservando il tesor; la vita rendi.

Fr. Matteo da Caraglio  
Capucino.





# MEDICASTER MARTINUS

NON ASELO CARENS, SED IN  
ASINUM MUTATUS.

## EPIGRAMMA.

**H**ostis Musarum MUSITANUM lædere tentat  
MARTINUS, qui sic Verum se prodit ASELLUM,  
Non uno puncto, sed punctis mille, quid ergo  
Mirum si rudat, qui nil nisi rudere novit?  
Hoc pudeat Doctum te defensore SALERNUM  
Uti, ne SCHOLA dum fiet MOLA despiciaris.

### ALIVD

**Q**uondam pro puncto caruit MARTINUS ASELO,  
Se nunc in puncto præbet MARTINUS ASELLUM.

### MADRIGALE

*Sù l'odio, che professa il  
MARTINO, al MUSITANO,  
che ha pubblicato la*

### TRUTINA MEDICA

**S**E 'l MARTINO odia tanto il MUSITANO,  
Eccone la ragione in mano,  
Questo bilanciando il MARTINO,  
L'ha trovato valer men d'un Quatrino.

KRUSWICK

14. Junij

1700.

M 2

CZ 2





CLARISSIMO, ET REVERENDISSIMO

DOMINO

CAROLO MUSITANO

MEDICINÆ PROFESSORI

ELOGIUM.

Lata inter plaudentium verba,  
Astenses inter tot modulantes Olores  
Tenuibus ab ideis etiam conceptum erumpe tuis,  
Mea gaudium Musa.

Et CAROLI MUSITANI

Cujus Minervæ Jubar Apollinis in firmamento  
Mortalium omnium, magis ast ægrorum  
Supercilium extollens multum emicat  
Gratulare.

Tantâ nunquàm voluptate  
Ac ejus quandò TRUTINÆ MEDICÆ OPUS  
Typis, ingenij floribus, sagacitatisque fructibus denuò onustum  
Commissum fuit gaudii Signum Medica Respublica  
Proprio in corde concepti  
Monstravit.

Felix talis impressionis dies, absque margarito signanda,  
Quæ tot Hippocratis Sædatoribus juvamina contulit.

Eja MUSITANE DOCTOR

Recens novæ Medicæ facultatis ORACULUM,  
Et si non Mundi Novi machinam, saltem Veritatis Rempublicam  
Proprio



Proprio Marte, non Herculis, ast Galeni, ac Avicennæ  
 Quod Antiquorum Turbæ  
 Non felici concessum aleâ fuit  
 Columnas pertransiens;  
 Dùm Tibi solum propitium fuit fatum,  
 Affecutus es.  
 Igitur in Te  
 Tantam expressam virtutis Iconem  
 In æternitatis templo positam  
 Hisce colit

JOSEPH SECUNDUS VAYRUS  
 Medicus Astenfis.

**V**Enite ò vaghe Muse  
 Che di Pindo su' Colli hor habitate,  
 Deh' quei luoghi lasciate,  
 Che di CARLO v'attendo  
 Per formar al gran merto  
 D'honori dovuti pretioso un ferto.

M 3 SINGE





SINGVLARI MERITO REVERENDI

DOMINI D.

CAROLI MUSITANI

MEDICI EXCELLENTISSIMI

# ELOGIUM.

Adeste

Fidi Asclepiadis Proceres, & miramini:  
Clarissimo in Parthenopenſi Polo, Illuſtre Syduſ  
CAROLUS MUSITANUS CASTROVILLENſIS, effulget

Magni Ominis Heros; Philiatrum Decus:

Unus Orbis———Unum Urbis

Genius ——— Ingenium.

Sanè Sapientiæ inter numina Apollo,

Si Muſis Natus.

Divini quid Sapit;

Quem Animus Sapiens, Conſilium, & Religio  
Supra Hominem reddunt.

Eruditorum Optimus, & Optimorum Eruditiffimus,  
Infiniti Operis, Immenſum Opus, redegit in terminos:  
Aperiens Primò, Naturæ Librum

Pyrotechnia ſua Sophica.

Purioris Chymix, Poſſeſſor è rerum Analifi Verum;

E' velatâ Naturâ, Veriora revelavit Arcana.

Chirurgicam ingreſſus Spartam, ut Angelus è Cœlo lapſus,  
Sat eſt tangere, ut Sanet:

Probatoria feligens Remedia.

Trutinam



Trutinam quid ni Eruditissimo decoratam Stylo  
Penſitatis tot Artis Heroum dictis,  
Æquâ Lance, ac Mentis Acie construxit.  
Inaudito Doctrinæ pabulo, verè Animos nutriens  
Cum de Nutritione differuerit.  
Hic omnium Ingenia collegit in suo,  
Virtutis Epitomen.

Pyretologia mox ad Lemniscum producta  
E' Dedalejs Errorum ambagibus melius Ariadnis  
Extricat Filo;

Altioribus Basim jaciens difficultatibus  
A' tot Oppugnatis  
A' nemine Expugnatis:

Insigni Emeritus Laureâ, cùm Solus de Febrili Lernâ  
Triumphet.

Una non æquat meritum Ecclesiastica Dignitas,  
Nec unus æquabit, Stylus, Laudem;  
Quippe Unitus Sacerdos, Priscis ter Aptior  
Tandiu in illis, cùm pubesceret Medicina  
In hoc, uberiori consenescit Autumno:  
Docta quin Sacra morbos averruncans  
Manu.

Incruentum exponit Opus. Inertientas, Supremo Numini  
Qui litat Victimæ.

Indignum sanè si Viri tantæ Religionis manus  
Ægrorum Innoeui polluerentur Sanguine.  
Regulari Jure

Irregularitatem Fugiens.  
Veritatem ut firmat, Errores confutat,  
Illis diu placere non valens

Quibus æquè Virtus, ac Veritas displicet,  
Præpostera natis Minerva.

Adversus TRUTINAM MEDICAM, Quidam Elatus Vapor  
Tantum Doctrinæ Jubar credidit obtenebrare.  
Infelix nesciens: cæcas exhalationes  
Infirmio~~rem~~ non ultrò spheram ascendere,

Nati-



Nativoque instinctu deprimi  
Solis Aspectum  
Verè Sol

Cum solus rectam cordatorum Virorum percurrat Eclipticam,

Vulgarium irrideat Calumnias

Si rem acu tanges, morborum enucleato fomite

Herculeum solvit nodum:

E mulos non habens, quin nunquam Pares:

Veritatem dum exprimit, non opprimit

Galenica Temeritas

Rudis Impavidus Vulgi

Qui non Vulgari dotatus ingenio

Rationem fulcit experientia.

Virtute itaque Pietatem illustrans, Pietate Virtutem

Quo proprius ad Metam; eo cursum intendens

Æquè fœcundus Animæ, ac facundus Animi

Dotibus,

Novus hic Medici Orbis Alcides, Calamo

Melius quàm ferro Antiquorum Monstrorum Domitor:

Vivo Gloriæ in Obelisco felicissimè

Perennet

Galenismi ad Opprobrium

Famæ ad Immortalitatem

SEBASTIANUS CORNALIA

Med. Astenfis

Dicavit.

Astæ 4. Junij

1700.

AD



# AD BLOSIUM

## AMICUM

**U**Ranie mihi culta, parum desiste polorum,  
 Et terræ gyros, monumentaque pandere Tusci  
 Clara Galilæi genium, mentemque vereri  
 Desine Cartesii; sophiæ insudare severis  
 Non opus est studiis, buccas rumpente cachinno.  
 Nec mea frons, Erato, magis impallescat amore:  
 Ad loca Pausilypi quondam circumlita musco  
 Tecum ego Mosellæ veneres modulatus, & ignes,  
 Oscula nimirum cecini, multumque puellæ  
 Deliquium, illecebras, suspiria, somnia, lusus.  
 At nunc posthabitâ Cythereâ, naribus uncis  
 Indulgere juvat, Satyrique ostendere sannas,  
 Pegasides; verum tunicas ne carmina scombris  
 Dent, precor, Eupolidem sapiant, referantque Cratinum,  
 Occultique modos Sectani vatis, & artes,  
 Eloquentiumque, salesque; gravis livore recedat  
 Zoilus, invidiæ stimulis agitare recuso  
 Iliadem, ingenium detrecto nullius. Unus  
 Nostræ materies Satyræ NACA, unus Agyrta,  
 Blofi, MARGITES etiam cognomine dictus,  
 Nititur hic falsâ TRUTINAM compescere lance,  
 Ignorans EXAMEN. At inteream malè tandem,  
 Si non pœniteat, se divulgasse Libellum,  
 Si non cum damno probrum ferat, atque papyros  
 Deleat igne rudes infelix, utque Lycambes  
 Occidit Archilochi rabidis suspensus jambis,  
 Elidat fauces laqueo, cum nostra recludet  
 Sepia, servorum peior vibice catastæ,  
 Hujus Agasonis deliria, cumque lituris  
 Hanc emendabit vappam, incultique saporis  
 Fermentum. Et licet ille duos depingeret angues,

N

Non



Non timeo; & verbis si fistula mulceat aures  
 Nacæ, bile madens potius ( Styga juro ) veneno  
 Vindictæ spumescit. Agyrta ægrotat, Apollo,  
 Est opus Anticyrâ, cerebri testudo labascit,  
 Affer opem, nequeo diuturno occurrere morbo.  
 Obstupuit miser, & validis radicibus hæsit  
 Stultitiâ, ingenii vis tabuit omnis. Ab annis  
 Pubertatis ait Nacam stupuisse magister,  
 Cum Phrygij coleret medicinæ elementa Galeni,  
 Atque Sophi quondam meditando documenta Stagyrae,  
 Fit subito fatuus, delirat lingua, sui que  
 Oblitum crebro memini cognominis olim.  
 Hinc & imaginibus deluso pectore pravis,  
 Delumbare studet nunc dogmata Chymica, causas  
 Morborum, Medici quas invenere recentes,  
 Damnatiners, & quas cerebri par glandula cono  
 Effinxit rerum malè formas, vulgat inepto  
 Codice congestas, lucris, & spe divite famæ.  
 Collocat in triviis, & valvas ante popinæ,  
 Cauponæque schedas, inscripto nomine Libri,  
 Vendere noluerit cum bibliopola. Galeni  
 Longum clamat jo ! pannosa, hirsutaque turba,  
 Facta probent Picentini, scurrentur amici.  
 Mirum jactat opus, catulos ut simia pulcros,  
 Naca, Polycleti statuam, humanumque disertè  
 Corpus ait CHARTAS imitari. Vellite barbam  
 Huic, pueri, stolidam, stultorum adjungite cætu,  
 Digna magis foricâ, vel oleto pagina fatur.  
 Venosus Liber est MARGITIS, robora nervos  
 Nulla tegunt, latèque horrent, squalentia membra;  
 Occupat & caries artus, os livor iniquus,  
 Bullatam faciunt spumantia verba Minervam,  
 Atque solœcismos crepitant, ructantque mephitim.  
 Hinc sibi ridiculus blanditur Agyrta, superbit  
 Exuvijs devicti hostis, metamque suorum  
 Plaudit votorum penetrasse; reposcit Agaso



Docta triumphali delambi tempora lauro.  
 Cur hederis digna non gaudet imagine libri  
 Vestibulum, Delire, tuâ? num Bacchica festa  
 Sunt odio? frontem mage lubrica malva coronet.  
 Effigiem, precor, artificis manus extera sculpat,  
 Taliaque ære diu durantia carmina signet:  
 Tethalus est A S I N U S, cernis quem lector: hic artes  
 Semper Apollineas nescivit, rudere tantum  
 Novit, & in Doctum Chirona recalcitrat effrons.  
 Flectier in gyrum quorsum abnuis, o Bone, sanguen?  
 Scilicet insanis, an vis deludere? cordis  
 Cur non antra tument, nigrescunt sanguine lento  
 Pulmonum venæ, nullus si sanguinis Orbis?  
 Præstabat patinis ventrem intumuisse supinum,  
 Quàm noctes duxisse insomnes, Naca: labores  
 Nocturni, pallorque juvant ten' nobile germen  
 Arcadiæ? O utinam mentem sub pollice possem  
 Ducere, vitares risus, populique cavillos,  
 Nec mea te medio Siren ostenderet ungue,  
 Sed vetat hoc morbi vis desperata, tibi frons  
 Jam pudibunda diu perijt, varumque videmus,  
 Antyciris temulente, animum procedere, lippus  
 Rubricæ normas oculis non dirigis unctis.  
 Ut lorica trilix, te munit ineptia, qualis  
 Pinus humi defixa hæret, vel fronde tenaci  
 Nectunt quercum hederæ, sic pacto inscítia tecum  
 Conjugio stabili nunquam divellitur. Ast hic  
 Vanescet labor, ulcisci si tentat arundo  
 Tantum ausum; piget innumeras carbone notare  
 Stultitias, quas Oceanus miratur uterque.  
 Recto queis talo ratio non stare videtur,  
 Scommata quid faciunt Satyrorum? Musa recurvo  
 Frustrà suspendit naso mea. Solvere, Blosi,  
 In risus, nova dum memoro deliria Nacæ:  
 Stertit Naca, monent insomnia, Bestius ille  
 Creditur in rhonco: destertit; Bestius idem,



Inquit, ego sum, non deludent somnia sensus,  
 Nunc scio dicta Senis Samii, nec falsa videntur,  
 Non me Pythagoræ pavo later, Ennius hausit  
 Manibus ex Samii pavonis lampada vitæ.  
 Nosco equidem quàm, stulte, tuis insania crevit  
 Fibris, una salus superest, sub Sole repostas  
 Quærere Threicio terras, & vulgus ineptum.  
 In trabe naufragium, depictaque bella, ratesque  
 Ex humeris portare decet, puerisque rogare,  
 Assentem, Pæoniæ cum sis tu dedecus artis.  
 Dicere plura verat, nautarum quale celeuma,  
 Nescio quis strepitus, vox cornicatur in aure  
 Infanæ plebis, tuus intonat ore magister  
 Psyllorum de gente satus CAVA, pulpita scandens,  
 Magnanimumque canit, Phœbique, Jovisque timendam  
 Progeniem te, Naca, vocat; tentamina centum  
 Avulsor dentis, quique evirat ense pueros,  
 Et mediastini strigiles ad amœna ferentes  
 Balnea, commemorant, Mimorum examina plaudunt.  
 Tollere de circo sonitus, & murmur anile  
 Non promptum est, clamat muliercula, saga, suumque  
 Artificem dicunt præstigia, quique petauro  
 Aëra pervolitant, latantur, gestit Agyrta  
 Cum generis medico veterini, & ramicis, uno  
 Nomen ubique tuum tollunt ad sidera plausu.  
 Instituas de more foro spectacula CASTRI  
 Ludicra, Naca, jubet præceptor, pande Theatrum,  
 Gerronum cathedras propero pede scande, reposcit  
 Pharmaca, quæ cimices, importunumque venenant  
 Oestrum gens, jaculat jam vincta numismata lino,  
 Arcanumque senex pro ramice, proque marisca  
 Unguentum expectat ficosus Spintria, teque  
 Mille veredorum, mularum mille tumores,  
 Ulceraque, scabiesque rogant, tabesque Molossi,  
 Jumentique vetus petimen; tua quærit agaso  
 Amuleta macris pro mulis: Attamen æquum est



Oscillare prius, variosque ostendere ludos,  
 Ut pluris tua divendas emplastra popello.  
 Eja age, fabellas comitabitur histrio quisque,  
 Et personatus phonaescus scurra jocosus  
 Æthera complebit concentibus: Incipe cantus,  
 Naca, prior magicos, rumpi queis assolet anguis.  
 Præcipitat se quisque, loqui si cæperis, urbis  
 Omnibus adjurat Rex vectigalia Agyrtis  
 Addere, te solum excipiens, ut videat hospes,  
 Gaudeat & populus nugis, animumque remittat.  
 Argenti tandem poteris (mihi crede) talenta  
 Congerere, ægrotis collyria bobus, equisque  
 Præscribens. Grandescet honos, cæptisque secunda  
 Annuet, & votis fortuna; haud mentior, audi  
 Arcadij pecoris ruditus, sibilæque ora:  
 Nonne tuæ est oncans tibicen laudis Asellus?  
 Nonne tuæ celebrant decus immortale Minervæ,  
 Muneraque, innumeri cursim dum lignea pupi  
 Concutiunt densos inter crepitacula fusurros,  
 Sistraque tintinnant sacra Bacchanalibus, æra  
 Mille boant, ringuntque canes, plebecula sclopo  
 Centeno pedunt, & anilibus assonat echo  
 Plausibus, ingeminat juvenum dum crebra cachinnos  
 Colluvies? Præco ceroti Sannio raucet,  
 Extinctasque lues medicamine ludio narrat.  
 Miratur vacuus decoctor, furcifer, erro  
 Prodigium. Gerulos acri non jura morantur  
 Pinguia limacum filiquastro, apioque natanti,  
 Nec quæ lixa foro divendit omasa macellum,  
 Confluere ad ludos per compita, teque loquentem  
 Auscultare, canum noceat ne morsus, & aspis  
 Hostis conjugij sponfas demittat ad Orcum.

*Datum è meo Museo  
 Colonia Allobrogum  
 Kalendis Maij*

1700

Amodeus Gallus



# IN MARTINUM.

Cum sævus calor ureret medullas  
Mi longè patriâ meâ remoto:  
Vos, o queis medicæ reclusit artis  
Quantùm non alii reposita Phœbus,  
Donzelle, o ubi, docte Napolisque:  
Accitus Physicus verendus ore,  
Ni curto foret horridus capillo  
Nec fœdè regerent genas utrasque,  
Et manum rigidæ scopæ pilorum.  
Tùm linguam digitis, manusque tentat,  
Post crudos matulæ bibit liquores,  
Hærens non nihil. Insuper Galeno,  
Ac Hippocrate millies citato,  
Ingentem calicem propinat atri,  
Et fœdi laticis: pudet referre:  
Præfato veniam tamen licebit.  
Hunc torbens stomachus latrare cœpit:  
Mox tanto regerit labore potum,  
Quod cunctos videor subire fata.  
Ut virtus animi, reditque mentis  
Oppressus vigor: occidas, inepte,  
Exclamo: pereat Galenicorum,  
Et tecum simul imperita turba,  
Bubones putridi, Striges malignæ.  
His dictis, abit ille, nec vocatus  
Alter: nam statui interire morbo,  
Quàm stultâ medicî manu necari.  
Quid tùm? Jupiter audiens, opinor,  
Rectâ de ratione concitatum,  
Febri me subitò levavit illâ.

*Londini 4. Nonis Aprilis*

1700.

Amicus Perpetuus  
DAVID FEVOT.



# EPITAPHIUM

HIC JACET  
QUI NON DUM DEFUNCTUS  
PETRUS ANT. DE MARTINO  
GEOFONENSIS

CUI NULLA NASCENTI MUSA RISIT  
NEC ULLA DENASCENTI PLANGET  
GALENI ARDENS, SED CUJUS  
IPSUM PUDET GALENUM  
DEFENSOR;  
VIR ELOQUENTIA CLARUS  
SED INTER BARBAROS.

QUI  
MAGNUM MUSITANUM

NEAPOLITANUM ÆSCULAPIUM  
VERUM APOLLINIS PULLUM,  
PARACELSICÆ ERUDITIONIS  
HÆREDEM,  
VAN-HELMONTHII FILIUM  
ORBIS LITERARII DECUS  
TEMERARIO AUSU



AGGRESSUS  
AUDACIÆ POENAS HIC LUIT,  
ET  
APOLLINIS IRATI JUSSU  
IN HOC TUMULO LATERE  
COGITUR  
NE AMPLIUS  
IN MEDICORUM CHORO  
ANSER STREPAT  
INTER OLORES.  
SISTE GRADUM  
VIATOR  
ET PRECARE PRO ANIMA  
HUIUS  
INTER MEDICOS DEFUNCTI,  
AC DISCE NON ESSE,  
CUM  
LITERARUM PRINCIPIBUS  
ET APOLLINIS NATIS  
LUCTANDUM

FINIS.



MARTINUS  
IN TRUTINA,

SIVE

Apologetica per Dialogos Disquisitio,

QUA

TRUTINÆ MEDICÆ

R. DOMINI

CAROLI MUSITANI

Opiniones secundum Saniora Recentiorum Judicia  
luculentissimè defenduntur;

AC FVILES

PETRI ANTONII DE MARTINO  
MEDICI GEOFONENSIS

*Objectiones apertissimè refelluntur, ad veritatis Gloriam, & Incrementum.*

AUTHORE

JO. ANDREA LIZZANO

MEDICINÆ PROFESSORE



KRUSWICK,

Apud PETRUM ANTONIUM MARTELLUM,

---

M. DCC.



*Nihil Sapientiae odiosius acumine  
nimio; nihil verè Philosophanti mo-  
lestius, quàm Sophista. Ideò invidam  
Palladi finxerunt Veteres Araneam,  
cujus subtile opus, ac tenues telæ  
sunt, sed & fragiles, nullique usui.  
Petrarcha de remediis utriusque fortunæ,  
Libro primo, Dialog. 7.*





*Excellentissimo, & Experientissimo*

VIRO

*MEDICORUM CORYPHÆO*

ORNATISSIMO

NICOLAO SUSANNA

MARTINUM IN TRUTINA

Humillimè nuncupat

IO. ANDREAS LIZZANO.



Nuncupationes Librorum, quæ jam redo-  
lent vetustatem, labenti Sæculo adeò  
progressæ sunt, ut nè chartula quidem (&  
si literarias quisquillas sapiat) è prælis de-  
prompta videatur, quæ Patrono Magnate  
superbire non audeat: Hoc aliorum con-  
siliū veneratione prosequor, sed non curo; hoc unum  
curo, ut nempe sub tuis Auspiciis, hic primus labor meus



luce decoretur : Et jure Tibi Medicæ Reipublicæ bene-  
merito, Philosophicorum Porticum clarissimo, ac Celeber-  
rimo Antistiti debebantur hæ Neothericorum, eorumque  
opinionum vindicationes; Tu enim primus in hac Civitate  
eas promulgasti, Auditores docuisti, in literariâ propu-  
gnasti Palæstrâ, tibi que eorumdem notitiam, & prima spe-  
ciosum aliquod discendi rudimenta per scripta, & Disci-  
pulos tuos propagata, quotquot sumus debemus omnes;  
Tibi inquam inscribendæ erant; quisquis enim ego sum,  
ex Te profiteor, tum si innumeras Ratiocinationes, quas  
Tu, ingenuè semper erudiendo mecum habuisti, perpen-  
dam; tum si graviorum Authorum sensus, abstrusiores Hip-  
pocraticos, Philosophicos varios, quos eloquenti sermone  
incomparabili mentis acumine declarasti. Si quid erra-  
tum iverit, benigno animo corriges, eruditâ Sapientum  
scuticâ virulentis Anagnostum obtrectationibus irrepre-  
hensibilia Responsta dabis; sicque venerando Nomine Tuo  
lividos Zoilos, dentatos Aristarcos, Harpocrates evadere  
pro certo confido. Genealogicas arbores hîc inferere vano  
usui relinquo, licet facile possem; maximopere enim clara  
sunt Nobilitatis Tux, Tuique generis, & Principia, & Aug-  
menta tum Literis, tum etiam Armis, in quibus glorio-  
sum aliquem Tribunum Militem ad hæc usque tempora no-  
scimus, colimusque, & Hierosolymitani Ordinis Equiti-  
bus decorata, præsertim in novissimo fratre *Lelio Melitæ*  
tam benè accepto, quem potissimum nomino, tamquam  
tux signanter *Domus*, nempè stipitis antiquioris *Nicolai* di-  
gnissimum germen. Hæc & fortasse meliora genio blandiens  
tuo libens, lubensque omitto; Quippe qui sæpe te dicen-  
tem audiui, Veram Gloriam, Veramque Nobilitatem, non à fu-  
mos



*mosis Artorum imaginibus, sed à propria Virtute, quæ & illos illustravit, unicuique expetendam esse. Quæ si ita se habent, ut se habent certissimè, quænam Gloria, quænam Nobilitas æquabit tuam? Tu qui Tullium veridicum reddidisti, cùm diceret Virtutes simul esse conglobatas, ut in te Civiles, Morales, & Scientificæ solidum componunt globum. Loquantur illa ingens tua Urbanitas, Comitas, Liberalitas, Integritas, Veri ad affectationem Amor, falsi ad nauseam abhominatio. Loquantur illa mentis Vis in philosophando sublimis, in declarando felix, in communicando prompta, solertia in docendo, Majestas, & Decus in faciendo Medicinam, sine astu, sine ambitu, sine cupiditate, sine quæstu, ut facilè invidiam superando intermedentes Principis locum obtinueris: Ignoscas, precor, si eximix quâ polles Modestix, molestus videar verissimis hisce expressionibus, quas fuitiles cantilenas in aliis appellare sis solitus; Laudum enim tuarum turbo me impulit, ad hæc pauca scribenda, & ne gravis sim tibi, pluribus abstineo. De cætero incongrua quidem oblatio est Medici opusculi Maximo Iatro-Physico; sed Magni Alexandri est, parva munuscula magnificere. Serenâ igitur Te fronte accepturum spero, quodcumque sit Tributum, cum illud Tibi, receptis pro Beneficiis, gratiarum vice, gratus animus referat, monente Hetrusco Poëtâ.*

*Piccirole offerte sì, mà però tali,  
Che se con grato affetto il cor le dona;  
Anco il Ciel non le sdegna.*

*Interim, ò, & Præsidium, & dulce Decus meum, Nestoreâ emittens eloquentiâ Nestoreos in Annos Vale.*





# BENEVOLO LECTORI BLASIUS DEL POZZO

Salutem, & benè agere.

**N**otitiam tibi offero (Candide Lector) Literaria cujusdam contentiuncula, quam ratione saltem materia, & deinde eruditionem, & salium artificiosè per totum opus aspersorum, spero futuram fore non injucundam. Prostrant apud nostros Bibliopolas duo, inter ceteros, Libri, qui utinam in tuas venissent manus, quo, cum sana sis mentis, in eadem nobiscum esses Navi. Alterum horum post alios editos Typis, dedit anno 1688. Venetiis Admodum Reverendus D. CAROLUS MUSITANUS, Vir Religiosissimus, & omni Virtutum genere abundè ornatus. Alterum in prioris eversionem Anno 1699. Neapoli in lucem edidit Petrus Antonius de Martino Medicus Geofonensis, paucis ab hinc annis in Civitatem è Geofone delatus, & Vetustiorum documentis adeò addictus, ut inter cetera in jam generaliter receptum plausibile sivè Harvci, sivè Pauli Sarpa Inventum Sanguinis motum in Orbem, aliasque aliorum gravissimas opiniones, ineptias effutire non erubuerit. Hæc salivam nequaquam movissent, & tanquam ridicula excusata fuissent cum Poëtâ Satyrica.

Velle suum cuique est, nec voto vivimus uno.

Tanto magis quod delicatiores cibi, non omnibus sapidi sunt palatis. Movere tamen stomachum insulsa, & nauseosa nonnulla, quibus Dignissimum Musitanum Martinus incesere visus est petulanter, terminisque convicioso tanto Viro non dignis. Hinc orta suscitandi occasio, quonam Spiritu ductus tanto impar homo sit ausus. Videbatur alicui potuisse id fieri ex libertate Philosophandi pro tuendis Antiquorum sententiis, quas sectatur propter adductas à Musitano rationes vacillantibus. At majoris nota sunt in hac Universitate Magistri, quorum magis intererat, quippe Veterum vestigiis insistunt, nec tamen sunt inde commoti; fortasse quia Recentiorum placita negligere insinuant, non ignorant, nè contingat.

Quæ



Quæ Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Atque illorum evidentiora non improbant ad summum illa apud Anti-  
quos, & in Galeno reperiri Sophisticè nobis imponunt.

Aliunde igitur pruriginosum scribendi xaxoxθn Martinus contraxit,  
atque hujus causa fuit ostendendi ingenij, quod in se credit acumen, fama,  
& nominis acquirendi cupido, cum hominem se jactaret pralis cognitum,  
invectumque in Anthorem, cum quo dicere valeret.

Non tam turpè fuit vinci, quàm contendisse decorum.

Cumque floccifecisset vanitates hasce Musitanus, non secus ac Luna canis  
latratus; Doctissimus, ac disertissimus Condiscipulus meus Jo. Andreas  
Lizzano magna expectationis, & spei Juvenis, in tenerâ atate Civitati  
benè cognitus, & nobilium Clientum potens enumerare quamplurimos,  
Musitano necessitudine illâ valde conjunctus, qua inter ejusdem generis  
egregios Viros solita est intervenisse, factum sibi Jus dixit à Martino,  
pro vi sua mentis exercendâ in ejus librum animadvertere, quod potissi-  
mum quatuor sequentibus Dialogis perfecit; quorum primus veluti Proë-  
mium tribus præponitur; In secundo de Animæ Sede, & de Doloris  
formali causâ edisserit; In tertio, Sanguinis circularis Motus juxta  
probatissima scriptorum experimenta evidentesque rationes à Martini  
calumniis vindicatur; Demum in quarto de Purgantibus, de Venæ Se-  
ctione, Vessicantibus, Fontanellis, atque nutritivis Clysteribus examen  
diligenti calamo ad Celeberrimorum Authorum mentem instituit. Princi-  
paliores Martini Objectiones circa hac maxima puncta versantur, & in  
quibus se invictissimum censet præfatus; Hæc volebam ne ignorares, Be-  
nigne, Lector, ut si quid asperiusculum in Lizzano meo tibi occurrerit,  
scias non ex propriâ animi indole factum, sed tanquam Dei, & amicitia  
legibus debitum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas;  
quodque aliud minùs tibi arridens reperies, aut Authoritate, quâ præstas  
corrige, aut benignitate, quâ insigniris primis Juventa lucubrationibus vel  
ignosce, vel excusa, Cordate Lector, atque ad multos annos Vale.





# DIALOGUS PRIMUS.

INTERLOCUTORES

PHILALETHES, PHILARETUS.

PHILALETHES.

**S**OSPES sit Tibi Deus, amice *Philarete*, quo diriguntur cogitabundi gressus isti, & absque lege? Magni ponderis negotio mentem obrutam indicas.

PHILARETUS.

Felix profecto occusus, albo signandus lapillo. Te animo, Tui cupidus pensitabam, attamen petitioni tuæ obsequens, *Mergellinam* versus movebam; solus potius, quàm malè sociatus; hiscè namque temporibus, ut veros (bonorum pace) amicos reperiās, *Cynici* lanternam habeas oportet.

PHILALETHES.

Quid illic? & quænam profundæ cogitationis causa?

PHILARETUS.

Gratia reficiendi animum ægrotantium interpellationibus fatigatum, ipsorumque auditis languoribus hinc inde distractum; & si minùs occupatum reddat temporibus nostris quemque Medicorum, multitudo medentium: Sunt enim, quibus unicum studium est anxios se ostendere, & sic magnos viros vehementer (sed in nihil agendo) occupatos, ut nescias, risusne, an derisus encomia mereantur: Sunt qui pro Dominis, hostia visitant, *Tinctoriæ* Artibus tantùm utiles lotiis: Sunt qui ex Præceptorum gloriâ bonum aucupari nomen conantur, secretiora illorum ostentantes arcana, cum vel clarissimos eorundem sensus ignorent: At ubinam Plagiarios alienis sudoribus irrigatâ lauro sua tempora cingentes relinquam? Proh tempora calamitosa! Proh corruptos hominum mores!



mores? Et hi sunt quibus sores amica arridet, deridetque merentes. Quà verò sim re distractus, scies, cum aliquo in scopulo sedere licuerit, ludentes pisces in æquore, pueros propè littus natantes, variosque illorum lusus maritimos inspiciendo: Illic curarum mearum historiam audies; Nunc eja admiremur passim, & egregio conspicuoque letemur opere, quod *Ludovicus de laCorda* Methynnæ Coeli Dux Sæculi nostri Magnanimus Alexander vigilantissimus Regni Prorex (non sine æternâ sui ipsius gloriâ) ad Civium commodum construendum imperavit.

PHILALETHES.

De quonam Opere loqueris? Varia sunt illustria ejus maximæ Ingenij, Geniique Regalis Opera.

PHILARETUS.

De hoc, in quod sermone distracti, sensim pervenimus; de cæteris loquentur historiae.

PHILALETHES.

Via nè hæc est, olim *Paleopolitana*, vulgo *di Chiaja*, Nobiliori nunc nomine *Medina Cæli* insignita. Ego sæpe sæpius illam frequento, visurus D. ALPHONSUM PINTO è PRINCIPIBUS ISCHITELLÆ integerrimum Portionis scribam in Regno, Divi Jacobi Equitem, meumque munificentissimum Mecenatem.

PHILARETUS.

Hæc, inquam, est, nonne majus in deambulando commodum experimur? Recordare, quæ erant pulvereæ impedimenta, latrante cane, ac lutea dominantibus Aquariis, & terque, quaterque extolles ad Sydera ex magnifico opere Excellentissimum Inventorem.

PHILALETHES.

Dignum mehercule opus? Dedecus certè erat Urbis (dicam melius) Orbis meliorem partem ita conspurcatam esse, ac ignobilem; Prospice nunc ut gaudet oculus, quâ directo, politoque tramite, quâ frondiferis arboribus; quâ currentibus, varièque ludentibus limpidis in fontibus aquis, quâ omnium harmonicâ amœnitate.

PHILARETUS.

Opus quidem, Poëmæ dignissimum, & Historiâ.

PHILALETHES.

Sed jam nos *Mergellina* tenet; confideamus quæso, & sedulè

P

cure-



curemus, ne amborum nostrum faciem feriat Sol pungentibus radiis: His enim cautè defensi, lætabimur (si tamen occasio fieret) aliquo maritimo eventu, quo si fortè carebimus, celebrata loci amœnitas gratum nobis levamen dabit: Agefis interim, quænam perplexæ mentis tuæ sit causa, enuncia; videbaris namque, cum tibi obviam veni, Hypochondriacus, ut octo.

PHILALETHES.

Ira profecto est *Philarete*: Decus illud, quod ex Laureâ Coronâ Sapientibus proveniebat, nunc ex melancholico hoc artificio quamplurimi quaritant (sed languidus honor) qui num benè valeant interrogati, hypochondriacæ affectioni se obnoxios esse propter obstinatam applicationem rei litterariæ, paucis verbis affectatis *Joannis Boccatii* periodis, responderent; Hinc assiduo (Helluonis tamen) ptyalismo vexantur; pallere facie, v. stibus sordere student, studentque: Sed quid ultra Te fatigo in re adeò notâ? Agefis, dixi, enuncia.

PHILARETUS.

Dicam, & Tu quoque stupidus admirator eris.

PHILALETHES.

Cujus nè miraculi.

PHILARETUS.

Non nè miraculum dixeris, si temporibus nostris evenire audias, quot *Lucius Apulejus* de suo *ὁνομασθέντι* commenta composuit?

PHILALETHES.

Jocaris, *Philarete*, an seriò & vera loqueris?

PHILARETUS.

Imo verissima, si quem tunc vides manibus habere Libellum, attento animo legeris; talia sunt enim axiomata ponderationesque, quas continet.

PHILALETHES.

Quoniam Authore, & quisnam, ut fieri solet, Titulus speciosus in Frontispicio?

PHILARETUS.

Haud multum in ejus Inscriptione sudavit, & alit; nuda quidem est, & simplex; *Trutina*, scilicet, *Medica Musitani Responsum* de  
cujus



huius illustri Authore paucis me expedire possem, cum *Ouvven*  
mutato *Dardano* in *Petrum*

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.*

*Dardane, nil in Te est pingue, nisi ingenium.*

At, ne in enigmate loqui videar, *Petrus Antonius de Martino* Medicus *Geofonensis*, hic est; *Vir*, nec *pallio*, nec *barbâ Medicus*; & si *Medicus*, ex *Commentario*: *Notus homo quidem, sed Lippis, & Ton-*  
*soribus*: *Galenicæ* (ut ipse apertè profitetur. *Jactabundus inflatusque*) *Scholæ* defensor acerrimus, *Pugnator Herculeus*; Sed *Tressis homo*, qui ex hoc, quod aggressus est, facinore notandus est, tamquam *Chorchorus inter olera*. Si vero meum est aliquid dicere, tuum exoptare verum; agamus quæso cum oblatratore isto eo pacto, quo ipse cum aliis dispari tamen exitu, & cum *Venusino* dicamus.

*Hac Lege in Trutinâ ponatur eadem.*

Et ita quanti ponderis erit, apparebit, qualiscumque verò sit *Author* libri, & qualis liber, in alterum diem ponderationes referendas reservo.

#### PHILALETHES.

Nulla quidem hac mihi gratior notitia dari poterat *Philarete*; *Totus enim occupatus eram investigando, quisnam insulsæ ac tenebricosæ mentis esset, qui tenebras in luce quæritabat maculas in recentiorum iuventis dictisque impendendo; Et absque dubio tantus rumor factus est de novitate istâ, & cuique loquendi materia data sit; Barbitonfores præsertim mille canentes festiva Carmina veteres Bacchi domos cremavere, statim ac sanguinis missionem à tanto Vi-*  
*ro commendari audiverunt, certâ spe futuræ reintegrationis in lucro, dum viventes pretiosiori, & vitali Rubino deorbantur: Hos inter Primatus potius est verbosus quidam vaniloquus Barbitonsor; Scurram agens cum esset Nebulo: Proh Justitiæ turpem contemp-*  
*ptum! Prosperam sortem illam adeptus est, quam alij copiosis laboris sudoribus in acquirendâ virtute conspersis merebantur. Hic ille est, qui sesqui-pedalibus, ampullatisque (extra rationem) verbis*  
*uti solitus, illam nunc Chirurgiam floccipendens exerceat, quam Romani crudelia perhorrescentes remedia expulerunt; Dum Cly-*  
*sterium usum renovari sibi quisque suasit lætitiæ focos excitavit*  
*Lasanorum Schafiorumque Artifices choreas duxerunt Baccho læta*



pocula coronantes Defensoris invicti saluti vina usque ad ebrietatem ingurgitârunt, postquam chatartica evecta ad sydera cogitârunt, omnes denique *homines Trioboli* tanto Heroi coronas parandas conceperunt ex *Parietariâ*, *Malvâ*, *herbâque mercuriali* (satius tamen fuisset illum *Helleboro* coronare) Sed istos suis linquamus tripudiis, suum servatorem juvem laudantes majora texere, encomiæ sinamus. Nos verò postquam Echinorum, aliorumque pisciculorum aliquid emerimus, de festino reditu in Urbem cogitemus; Impetuosus enim ventorum turbo extemplo exortus, nubiumque densitas, & copia, nobis valde nimis proxima, & Montium fastigia ferè tangens, imminentem pluviam portendunt; Ac ni celeres nos gressus ducant fortassis extemporaneâ aquâ madefacti rediemus.

PHILARETUS.

Quid mecum de libri discussione, & librato examinae consilio faciendo sentis (ut dici solet) frigido sanguine?

PHILALETHES.

Tibi dissentire nequeo; hujus enim loci non est cuncta discutere; desiderari fortè possent nonnulli Authores, quos *Martinius* arietat.

PHILARETUS.

Sed en præfatum D.D. ALPHONSUM PINTO, qui cum aliquid urgentis negotij mihi conferendum. Crastinâ die sis, precor, in Museo meo, Libri examen inchoandi gratiâ; Interim Vale.





*Eruditissimo , & Experientissimo*

PHILOSOPHIÆ, AC MEDICINÆ  
PROFESSORI

DOMINO

NICOLAO CRESCENTIO

S. P. D.

JOAN. ANDREAS LIZZANO.

**T**ibi, Viro ultra metam erudito, qui tam benè in Cartesianis Meditationibus, ipsiusque receptissimâ novæ Philosophiæ hypothesei sensibus perscrutandis, Te gessisti, ut Cartesij Anima meritò dici posses, unum in quo de Animæ Sede, & doloris Formali causâ edissero ex hisce Dialogis meis, dicare constitui; ingenioli primitiæ cum sint, non dubito, quin immatura, haud benè trutinata; immo acerba juvenia calore conscripta videantur; Sed tuum est quâ eruditione, quâ venerandâ Sapientiâ, qua modestiâ miki humiliter excusationem petenti veniam largiri. Volupe mihi quidem esset placuisse Tibi, cui sive in Academiis discurrenti, sive in Lyceis Philosophanti, sive in privatis colloquiis harmonicè disserenti plaudunt omnes quod simili Scribenti Ingenium non tribuit, tribuat Electio nuncupanti; Sic quod deforme fecerim, docto Patrocinio Tuo pulchrum Tu facias: Interim (si alio non dabitur) rectâ fuere voluntate, me Tibi commissum habe, & feliciter Vale.





# DIALOGUS SECUNDUS.

INTERLOCUTORES

PHILALETHES, PHILARETUS.

PHILALETHES.

**P**ostquam amanos deliriosæ *Mergellinæ* tractus reliquimus, & ubi abs Te discessi, *Philarete* mi suavissime, semper in animo fuere amabiles comptissimæ societatis tuæ sermones, hesterno die habiti, semper, & iterum Te videndi desiderio exarsi; quoties mente volvebam memoratum examen *Martiniani* Libri, incomprehensibilia temporis momenta mihi sæcula videbantur.

PHILARETUS.

Expectate diù, venisti tandem, *Philalethe*, & procul dubio, ni Librorum hic parata copia detinuisset ex qua faciliiori modo desiderium nostrum adimplere poterimus; millies ad te venissem: At scias, antequam ad aliud progrediamur, me *Echinorum*, aliorumque fructuum maritimorum emptionem non amplius curasse; tantus erat ingruentis pluviae metus.

PHILALETHES.

Non deceperunt nos Meteorologica signa; Largiter enim condensatæ nubes; & quæ Montium cacumina tangere videbantur, dederunt pluviam, & mihi extra mania dormiendum erat, ni obvia Amici rheda occurrisset, quæ me reduxit domum.

PHILARETUS.

Colloquia isthæc inutilia rumpamus, quæso, exoptatumque Libri examen inchoemus, cujus *Philalethe*, si volumen spectes parvum dices; si meritum, *Enchiridion*; si utrumque, *Alabandicum*.

PHILA-



## PHILALETHES.

Tanta nè scriptoris incitria ut quem ipse putat dignum cedro, tu Alabandicum censeas?

## PHILARETUS.

Non ne Alabandicus erit, si mille erroribus Philosophicis, Medicisque, sepositis Grammaticalibus, scatet? hinc inferas, licet quod ipsa *nuncupatoria Epistola*, quæ elegantiori stylo conscripta censenda est, insulsiſſimis verbis, pluribusque mendis dedecoratur: De tali hominis arrogantiam mirarer equidem, nisi incomperto esset, similia tales homines aggredi: Pro *Herois* ponit *Erois*; pro *inclyta* ponit *inclite*; pro *ausus* dicit *auxus*; verbum *respicio* barbarè bis maritat dativo casui, & pro *Hierosolymitanos* barbarissimè scribit *Jerosolimitanos*. Sed audi facinus in Latinâ linguâ enormissimum: *Et ubique* (dicit in eadem Epistolâ) *pandat Avorum prægia*. Negari ne poterit unquam, *Martinum*, non esse *Civem*, sed *Advenam* in Latio?

## PHILALETHES.

Puerilia quidem errata, ut potius prolata à puerulo, quàm ab Authore conscripta credas.

## PHILARETUS:

Falleris, *Philalethe*, Auctoris acutissimi ingenij sunt; toto enim in Libri corpore, hæc, & similia, imò, & majora conspicias: Quid diceres, si legisses in eadem Epistolâ, *Martinum*, nullo adhuc verbo *de Thesibus* edito, pronunciare *Thesum enunciatarum*; ac non adhuc locutum de *Serenissimo Electore Comite Palatino Rheno*, nec proprio, nec appellativo nomine, nec de ejus prærogativâ *Altitudinis*: ut primum occurrit de illo mentionem facere, ex abrupto, prorumpere, *præfatam Altitudinem Serenissimi Electoris*? Nonne *ly enunciatarum*, & *ly præfatam*, diceres apposita, pejora pessimis, ineptiora ineptissimis? Quid diceres, si legisses in eadem Epistolâ, quod *Martinus* nuncupat Librum *Illustri Marchioni Mascambruno*, qui cum loquitur in Epistolâ, & illum sub diversis numeris, & personis considerat: Primò, ut personam secundam numeri singularis, ut in titulo ibi: *Illustrissime ac Excellentissime Domine*, & in corpore Epistolæ ibi *Te eligere*, & inferius, *tuorum Procerum*, & inferius, *tuarum virtutum*, & inferius, *tuam Familiam*, & inferius, *Excellentissime Domine*, & inferius, *Excellentissimâ stirpe tuâ*; Secundo



tanquam personam secundam multitudinis numeri, ut ibi, *Vestri Proceres*; Tertio ut personam tertiam numeri singularis, ut ibi, *sua persona*, & inferius, *sua Clementia*, & inferius, *pro se*, *perennique Familia sua*, & inferius, *Excellentia sua*? Nonnè diceres *Martinum* ipsum ignorare vel Grammaticæ Concordantias? Sed si Italici *Homeri Torquati* scilicet *Tassi*, verbis uti fas erit.

*Tempo forse già fu, che gravi, e strane,  
Ne dovevan parer sì fatte offese  
Quasi lievi or le passo, orrenda, immane  
Ferità leggierissime l'hà rese.*

Pro Coronide, præfatam Epistolam hac periodo conterminat, *ransque Deum pro te, perennique suâ Familiâ humiliter Veneror.* addito finali puncto; sicque expleto jam, & terminato Epistolæ eloquio, ad subscriptionis humanitatem accedens, progreditur inhumanè, scribens *Excellentia tuæ Bonitatem humillimus Servus Petrus Antonius de Martino*, & sic rapuit Scelestus dilectam conjugem, nempe *Bonitatem Suæ Excellentia* verbo *Veneror*, legitimo ejus viro eamque immaniter, & barbarè suspendit in aëre.

Hæc in ipsâ Nuncupatoriâ Epistolâ; in libro vero errata, barbarissimi, & verba, penitus incognita Latio, mille, & ultra adnotari possent, & plura de Phrasi & è locutione inepta subnecti; Sed ne à majoris momenti rebus hic divertamur, in finali Dialogo recensenda reservemus.

#### PHILALETHES.

Libenti animo Tibi assentior, & quantum erit possibile etiam graviora laconicè perpendamus.

#### PHILARETUS.

Sic DEUS nos servet, ut ego *Musitanum* nostrum *Recentioresque Martini* Oppositionibus Apologetico sermone sollicitus eram tecum tantum expurgare; sed mente revolvens quàm grave præjudicium allatura essent publico viventium salutis bono depravatæ opiniones per Sciolum istum disseminatæ, quale virus allatura prolata ab ipso Axiomata, publici Beneficii gratia constitui palàm det egere, accedente etiam Consilio D. ANTONII DE SANCTIS Marchionis Montis Falconis Militarium Caularum Regij Exercitus in Regno Quæstoris Generalis varia eruditione eminentis, qui me sæpè monuit, suadens,



suadens, opus hoc futurum fore austeri saporis illorum palatis, de quibus dicendum, quod *Tacitus* in vitâ *Agricola* retulit, *Gnarus sub Nerone temporum*, quibus *inertia pro Sapientia fuit*, sed non inde reticendum, quod est consonum veritati.

PHILALETHES.

Magnum sunt ingenio meo incitamentum, quæ dixisti, maximo-  
pere tamen libito dimoveor tuo; hinc quicquid voles, & ipse ag-  
grediar, dummodo veritas non lædatur; *Amicus enim Plato, Ami-  
cus Socrates, sed magis amica veritas*: Interim tu, quæ in lectione  
adnotasti maledicta in *Musitanum*, ac *Recentiores*, enarra, ut sic ho-  
rum dilucidando sententias, *Adversarij* errores evellamus.

PHILARETUS.

Ita sanè exequar, *Philalethe*; Igitur semotis verborum ambagibus,  
principium fit futilis illa *Authoris* admiratio de opinione *Musitani*,  
asserentis *Sedem Anima Rationalis in Capite*.

PHILALETHES.

Papè, ineptus *Grammaticus* ineptissimus *Medicus*, Theologum  
audet se profiteri; Irrationalis, de rationali animâ vult differere!  
Recordor clarissimè *Musitanum* hac de re in suâ *Trutinâ Lib. prim. in  
Præfatione de Capitis affectibus* breviter locutum his verbis: *Hoc est  
una, cui omnes sensus famulantur, cui omnia obediunt membra; à quâ  
sicut Planeta à Sole, & totius Terrarum Orbis, lumen, vitamque hauriunt;  
Sic anima in hoc capitis Regali Solio relucens, suo vitali lumine totum  
irradiat corpus: Sat est ut sua exerceat munia, in Capite prædens, toti  
corpori, ut sui ipsius imperio pareat, legem dicere, absque eo, quod tota  
in qualibet corporis parte resideat, ut hætenus apud Philosophorum vulgum  
rumor increbuit: quid inde?*

PHILARETUS.

Quid inde? *Martinus* stabile sibi gloriæ fundamentum jacere ex-  
cogitavit, demoliendo hanc *Musitani* sententiam, quasi ex *Diametro  
Divi Thomæ, & Augustino* contrariam: Et oh quot ampullata verba!  
quot insulsa iudicia profert! Per ipsum non stat, quin damnetur  
tanquam erronea; damnat tamen, quod non percipit, & hac de re  
loquitur, nesciens quod

*Non cuivis homini contingit adire Corinthum.*

Q

PHI



## PHILALETHES.

Jure quidem meritò tale pondus pro *Martini* humeris non est, nec pro nostris, (sit veritati locus) aut si aliquid decerpere licet, ex gravissimis, & præstantissimæ notæ, Viris, magnis in Theologiâ Luminaribus, non adeò nova, nec à probabilitate aliena *Musitani* opinio existimanda est; In varias enim ivere sententias emundissimæ Minervæ *Scriptores Prisci, Recentioresque*; Nec unquam, opinionones quascunque protulerint, nempe in Cerebro, in Corde, Catholica nostra Ecclesia damnavit; Immo *Sanctissimi Patres* pro una parte pugnant, pro alterâ decertant *Patres Sanctissimi*, cordati Doctores; quid inde?

## PHILARETUS.

Par esset hîc recensere Celebriorum sententias ut *Martinus* percipiat, *Musitanum* non perperam suo capite excogitasse animæ Rationalis sedem in capite; sed magnis innixum autoritatibus; At quoniam brevitati studemus, satis erit, si unum ex multis referamus; Magnum videlicet *Aurelium Cassiodorum* hoc modo animi sui sensum exprimentem: *Quidam* (ait) *sedem Animæ, quamvis sit in corpore toto diffusa, in corde esse voluerunt; dicentes, quod ibi purissimus sanguis & vitalis spiritus continetur, ut inde etiam cogitationes, sive bonas, sive malas, exire confirmant; quod animæ virtutem operari posse non dubium est: Plurimi autem in Capite insidere manifestant; Si fas est (cum reverentiâ tamen) dicere ad similitudinem aliquam Divinitatis, quæ licet omnia ineffabili substantiâ suâ repleat, scriptura tamen Cælo insidere confirmat. Dignum enim fuit, ut arcem peteret, quæ se noverat cælesti operatione sublimem, ex tali loco præceteris versari, unde reliqua membra debuissent competenti regimine gubernari; Curiosis legenda relinquo reliqua, quæ toto cap. 15. de Anima, pro hujusmodi sententiæ confirmatione conscripsit.*

## PHILALETHES.

Eadem vestigia terit (nimis fallit memoria) in amœnissimis questionibus suis *Gaspar de los Reges* quæst. 14. dum inquit, *Metropolis, & præcipua Animæ sedes non in Corde, nec Hepate sita est, sed in Cerebro; Cor vero officina tantum est spirituum vitalium; nobiliores verò, animales dicti, in Cerebro resident, ubi quoque omnes sensus locum obtinent; ac proinde Cerebrum potissima sedes est Rationalis Animæ; quâ re in ratione, memoria,*



*moriâ, aut imaginatione lafis, topica capiti, non cordi, aut hepati admoventur ut 13. Meth. cap. 21. adversus Athenæi discipulum, & alios Peripateticos latius redarguit Galenus.*

PHILARETUS.

Quid respondebit *Salebricosus Censor* noster, non video profectò, cum ex dictis clarissimè pateat, novam non esse neque damnatam conjecturam cujuslibet asserentis *Rationalem Animam in capite suam habere sedem*: de peculiari loco diversimodè loquuntur *Philosophi*, quos quisque pro animi oblectamento adire poterit; Hos inter magnus ille dilaceratæ *Philosophiæ* per tot *Sæcula*, soli *Aristoteli* mancipatæ *Felicissimus Restaurator*, profundissimi ingenij *Vir Cartesius* variis non aspernandis rationibus, *Pinealem Glandulam Rationalis Animæ adequatam sedem esse probavit*; quamquam ego libenti animo acquiescerem *Lactantio Firmiano*, dicenti: *Cum ipsa Anima, quo loco est, aut cujusmodi, nesciatur.*

PHILALETHES.

Si tamen, in tam sinuosis, variisque opinionibus aliquid promere licet; illa quidem animum implet, quæ *in capite Rationalis Animæ sedem* concipit, utpotè in quo videmus quod proprium sui ipsius est exercere, cogitationem videlicet, quæ in aliis corporis partibus actuari non videmus, nec concipimus: Favet huic sententiæ cum aliis hic memoratis *Authoribus*, *Ludovicus Cælius Rhodiginus in lect. antiqua. lib. 2. cap. 22.* hisce verbis: *Ergo caput præcipuum excelsiusque in hominè membrum, primo regiminis acutorum Galenus, & Platonici omnes Rationalis Animæ sedem nuncupant, ut rentur nonnulli, quoniam inibi cerebri est conceptaculum, ac membrorum animalium; Quæ organa sive, & principia virtutis animalis, tam apprehendentis, quam eligentis, scilicet voluntariè moventis, quibus potissimum constat animalium, inter se disparatio; Nec me fallit Venerabilis Bedæ sententia super Marcum; Animæ locus, inquit, principalis, non juxta Platonem in cerebro, sed juxta Christum in corde est*; En hæc ultimâ periodo, uti hic *Sanctus Pater* apertè asserit *Rationalem Animam residentem in loco particulari.*

PHILARETUS.

Ad hoc confirmandum, ac magis dilucidandum, libet hîc annexere, quicquid clarissimè philosophatus est juxta perspicacissimas *Ronati meditationes* *Excellens Antonius Le Grand in art. 7. de Mente hu-*



mana; ubi satis inquit, ex dictis manifestum est Animam humanam toti corpori esse conjunctam, & hujus motus ab illius cogitationibus ita dependere, ut nonnisi compositum unum efficere dicantur. Hinc natum illud inter Philosophos, Animam totam in toto corpore, & totam in singulis ejus partibus esse; Non quod Anima positivè, & per veram extensionem, in singulis corporis partibus inveniat, id enim immateriali substantia, qualem esse mentem humanam ostendimus, repugnat; Sed quia corpus, & unum quid, & peculiari quodam sensu individuum est, ratione nimirum dispositionis Organorum, quæ omnia ita ad se mutuò referuntur, ut vel uno eorum ablato, mutilum, & imperfectum corpus reddatur, & quoniam ea est animi natura, ut omni extensione, dimensionibusque careat, ad nullum corporis membrum, quasi ad illius quantitatem adequet, referri potest, sed ad totam organorum compagem dumtaxat, quæ ut una consideratur. Et paulò post: Sed quamvis toti corpori Anima sit nexa, dici tamen potest; illam intimiùs, & immediatiùs uni parti uniri, quam alteri; sicuti licet Deus per totum Mundum diffundatur, & per suam potentiam omnia loca repleat, peculiari tamen ratione in Cælo esse dicitur, ex quo omnia nutu suo regit, & administrat: Ita dicimus mentem humanam in cerebro, utpote in supremâ corporis parte velut in arce residere. Hæc ille: Ex alio Capite non pauci sunt Sancti Patres præter Bedam citatum, à quibus Rationalis Animæ sedes in corde consideratur, absque eo, quod tota in toto, & tota in qualibet parte totius censeatur, ut annotante Petro Gassendo eruditissimo, sunt Divus Gregorius Nyssenus, Divus Hieronymus, Theodoretus, Tertullianus, & Philo; cum quibus omnes ferè Patres. Nec immortalis Fernely placitum est hic omittendum: Cerebrum (inquit) humanae mentis arx, & domicilium; cogitationum, rationisque sedes; motus, omnisque sensus fons, & origo: Corporis summam partem tenet, sursum spectans, Cælo proximum; ut enim Universitatis hujus parens, mensque illâ rector, in Cælo excelssimo loco considet, ita decebat cerebrum, nostræ mentis Arcem summo corpore collocari. Huic sententiarum varietati de principali fede Animæ Rationalis in homine, lepidè alludit Vitus Caesar Caballone J. C. variâ eruditione, ac poëtica amœnitate præclarus, concinens.

*Per mostrar dove in noi l'Alma risiede,  
Faghe Filosofe spiegar le menti.*



*E (diversi trà loro i sentimenti)*

*Chi quà, chi là, conchiude haver la sede.*

PHILALETHES.

Ad quid ergo tot exclamationes, admirationesque nostri *quintæ classis Authoris* adversus *Musitani* de Animæ sede opinionem? cum res hæc adeò sit exagitata Antiquis, Recentioribusque scriptoribus? Divos Thomam, & Augustinum genuflexi veneramur, & absit, quod impugnare arbitremur, eos tamen *Musitano* non refragari patebit inferius. Quasculumque tamen opiniones rerulimus, quisque amplecti potest, ac tueri, utpotè non damnatas; sed hoc modo concludi placet cum *Platone* in *Timæo* dicente; *At quàm verè id dictum sit, cum demùm si id nobis Oraculo Deus edixerit asseremus*; Et cum *Patre Romana eloquentiæ in primo Tusculanor.* qui scripsit: *Vbi, aut qualis est ista mens? Vbi tua, aut qualis, potes ne dicere?* Verùm, fat prata biberunt, & ab enarratis hinc indè doctrinis, satis abundè responsum in hac materiâ, nec tempus omittendum, vocant nos, & aliæ impugnationes, cavillationesque, si fortè adsunt, & aliæ.

PHILARETUS.

Quin sint dubitas! nonnè recordaris quod totum quantum opus est (quantitativo enim nomine, non qualitativo dignum) in *Musitanum*, ac *Recentiores* caninâ rabie conscripsit *Author*; Hinc in hoc congressu rem hanc absolvere est penitus impossibile.

PHILALETHES.

Ponamus in *Trutinâ* quicquid per tempus, tetricasque nostras occupationes licuerit, quod remanet, alia dies castigabit.

PHILARETUS.

En aliud punctum, in quo sibi præcipue responderi vult *Morelogus* noster, ineptè credens, aptè responderi non posse; *Dolorem* videlicet, pro cuius essentiâ, & ejusdem conceptione, quo nempe modo fiat, quæve sit ipsius causa formalis, in *Musitanum*, aliosque invehitur: *Musitanus* solidis argumentis, *Recentiorum* vestigia premens, *dolorem*, nec in *continui solutione*, nec in *intemperie* consistere suâ in *Trutinâ*, contra *Galenicos* propugnavit, asserendo, ut & ipse *Responsi Author* transcripsit, rationem formalem doloris in vitâ esse, pro vitâ intelligendo *Animam* hisce verbis: *ideoque Anima immediatè sentit ubique præsens per sui irradiationem*: Nec pro



Animâ confundit Spiritum, uti *Censor* sibi suadet; apertè enina dicitur *Hujusmodi spiritus mortuus est, & merum cadaver, nisi à vitâ illustretur; & quia vita ipsa in hoc spiritu non est illi propria, & inseparabilis, sed vita est à spiritu toto subiecto distincta.* Dein continui solutionem, & intemperiem pro occasionali causâ accusavit. Claram reddam assertionem hanc nonnullis perquam necessariis digressionibus, in quibus vellem *Martinum* nostrum, *hominem, Grammaticum, Philosophum, non servum pecus*, nec falsis præoccupatum opinionibus, pro quibus juravit in verba Magistri; ita namque aliquid persuadere sperarem.

PHILALETHES.

Quid ad nos? & si non me lateat cum *Martiali* in *Epigr. 61. lib. 5.*

*Non deerunt tamen hac in Urbe forsan  
Unus, vel duo, tresve, quatuorve,  
Pellem rodere, qui velint caninam;  
Nos hac à scabie tenemus unguis.*

Et satis erit si quod dicimus, verè sit ad mentem *Philosophantium*, cui uniformes esse conabimur.

PHILARETUS.

Sed quod digressionibus præmittendum dixi, ut *Martinus* vel quisquis alius pro eo sentiens, faciliùs *de dolore* hypothesim comprehendant, hoc quidem est; brevis nempe notitia Anatomicae veritati in prætereunte Sæculo accuratissimis lucubrationibus, severioribus studiis, exantlatæ, circa Tactus adæquatum organum, cutem videlicet *Malpighianis* celeberrimis, insudatisque observationibus illustratum; Per hanc mediantibus innumeris, nec sine microscopij ope, conspicuis pyramidalibus papillis, quæ ordine parallelæ ex succo miliaribus glandulis, ibidem detectis emanante, irroratæ per reticulare corpus erumpentes, in cuticulam desinunt, pluresque fibrulas formant, hæ omnes nervorum extremi fines subtilissima filamenta ad ipsius diligentissimi *Malpighij* mentem videntur: His à tanto Viro perspectis de externo Tactus organo pro explanandâ doloris hypothesi, memorari hîc libet Notulam quamdam *Danielis Clerici*, & *Joannis Jacobi Mângeti* Medicinæ Doctorum Solertissimorum in *Bibliotheca Anatomica prima parte* ubi de cute *Malpighius*, ut potè, in quâ satis dilucidè materia tractatur hisce terminis: *Quod Hippocra-*



tes magnam Sapientie partem putabat, id tandem assecuta est Recentiorum Philosophorum diligentia: invictè enim probarunt. Primum sensationes non fieri in corpore, seu corpus non sentire dolorem, aut voluptatem, solamque mentem, hoc est substantiam, quæ in nobis cogitat, sensationis esse capacem: Secundo unionem mentis cum corpore in eo sitam esse, ut ad certas mentis cogitationes certi oriantur in corpore motus; Et vice versa, ad certos corporis motus certa nascentur in mente cogitationes: Tertio denique, mentem peculiari quodam modo cerebro unitam esse, cum nullum sentire queat motum corporis, nisi ad cerebrum usque perveniat; Quod variis experimentis constat: Hisce suppositis, ajunt, vellicatâ, vel pulsatâ extremitate nervorum, qui velut fidicula à cerebro ad omnes partes extenduntur, motum illum ope spirituum animalium, quibus pleni sunt nervi, cerebro communicari; Quo fit ut mens sentiat voluptatem, aut dolorem, prout motus, in corpore excitatus corpori est utilis, vel noxius; Si queratur quanam sit convenientia inter motum corporis, & cogitationem mentis, anve corpus per se, & immediatè, ope extensionis suæ in mentis substantiam agat; Respondet, nullam quidem esse naturalem convenientiam inter corporis commotiones, & cogitationes mentis; nec corpus per se in mentem posse agere, cum mens omni extensione careat, nec ulla sit proportio inter rem extensam, seu corpus, & rem cogitantem, seu mentem; sed Authorem Naturæ ab initio voluisse, ad motus corporis excitari cogitationes in mente, & vicissim; voluntatem autem ejus, quia est Omnipotens, semper executioni mandari, ita ut sensationes nostræ sint immediatè à generali illâ voluntate Dei propter quam si propriè loqui velimus, in mente excitantur ex occasione motuum, qui in corpore fiunt, pariterque motus, quos videmur voluntate nostrâ in corpore excitare ad occasionem volitionum nostrarum, non verò propriè illarum vi, & efficaciâ Divinâ voluntate producantur.

#### PHILALETHES.

Concludendum est hos non solum Philosophiâ, sed etiam Religiosâ pietate suffultos loquutos esse, doctrinam explicantes magnâ in Philosophia Oceano Columbi, qui innumeras veritates detexit (de Cartesio loquor) cogitatum hoc in quartâ parte Principiorum, ita variis luculentissimis argumentis tractat: Probatur autem evidenter, Animam, non quatenus est in singulis membris, sed tantum quatenus est in cerebro, ea quæ corpori accidunt in singulis membris, nervo-



rum ope sentire; Primo ex eo, quod morbi varij solum cerebrum afficientes omnem sensum tollant, vel perturbent, ut ipse somnus, qui est in solo cerebro, quotidie nobis magnâ ex parte adimit sentiendi facultatem, quam postmodum vigilia restituit; Deinde ex eo, quod cerebro illeso, si tantum viæ per quas nervi à membris externis ad illud porriguntur, obstructa sint, hoc ipso illorum membrorum sensus etiam perit, ac denique ex eo, quod dolor aliquando sentiatur, tamquam in quibusdam membris, in quibus nulla tamen est doloris causa, sed in aliis per quæ transeunt nervi, qui ab illis ad cerebrum protenduntur; Quod ultimum innumereis experimentis ostendi potest. Sed unum hic ponere sufficiat: Cum puella quidam manum, gravi morbo affectam, habenti, velarentur oculi, quoties Chirurgus accedebat, ne curationis apparatu turbaretur, eique post aliquot dies brachium ad cubitum usque ob gangranam in eo serpentem fuisset amputatum, & panni in ejus locum ita substituti, ut se eo privatam esse planè ignoraret, ipsa interim varios dolores nunc in uno ejus manus, quæ abscissa erat, digito, nunc in alio se sentire querebatur quod sanè aliunde contingere non poterat, quàm ex eo, quod nervi qui prius ex cerebro ad manus descendebant, tuncque in brachio juxta cubitum terminabantur, eodem modo ibi moverentur, ac prius moveri debuissent in manu ad sensum hujus, vel illius digiti, dolentis animæ in cerebro residenti, imprimendum.

#### PHILARETUS.

Confirmat hoc idem Petrus Gassendus, Vir (ut cum Walco loquar) diffusæ eruditionis, & candidus referente Marcello Malpighio in tract. de externo tactûs organo, hisce verbis; Extat pulcherrima illa ex Gassendo mulieris historia, cui per longum tempus insciæ pes sphacelo correptus, exesus est; hæc interim se pedis digito dolere affirmabat; Evidens indicium, residuum funiculi nervei abrupti, qui aliàs per digitum dispergebatur, mordificatione affectum, phantasia illusisse, cui alias consueverat digitorum passiones renunciare. Et reliqua, quæ ad ejus meditationis confirmationem præfatus Author annectit. Hujusmodi exemplo varia loquuntur apud Authores inter quos numeratur Cardanus in Lib. de Varietate referente Thomâ Cornelio nostro, Viro planè erudito; In hac autem (inquit) idem Cornelius (in proginasmate de sensibus) disquisitione recolendum est præclarum illud Epicarmi enunciatum: Mens videt, mens audit, cæca, surda sunt omnia; Quam quidem sententiam luculenter



*lenter expresse Cicero his verbis; Nos ne quidem oculis cernimus ea, quæ videmus, neque est ullus sensus in corpore, sed via quasi quadam sunt ad oculos, ad aures, ad nares, à sede Animæ perforatæ; Itaque sæpè, aut cogitatione, aut aliquâ vi morbi, impediti, apertis atque integris, & oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus, ut facile intelligi possit, animum, & videre, & audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi.*

Sed eja, *Abderologo* nostro claudamus os; Et ne proletarius scriptor hic amplius audeat, *Corvus* cum sit, *Luscinias* cantu laceffire, discat hæc ab *Authore Logicæ* sive artis cogitandi, in cap. 8. primæ partis, & dein derideat (si poterit) *Musianum*, ac *Recentiores*; laudatus *Author* hæc habet: *Sed si homines rectè perceperint dolorem igni manum adurenti non esse attribuendum; in alio tamen errore versati sunt, atque illum manui, quam ignis urit, inesse senserunt, cum tamen non nisi menti insit; Verum quidem est, illum ibi excitari per ea, quæ in manu sunt, quia dolor carnis non est aliud, quàm concepta mentis offensio ob excitos quosdam motus naturali corporis temperamento contrarios.* Et (tanquam propriissimè de evincendo loqueretur *Martino*, quem agnovisset tam rabidè in has positiones, thesesque invecum, non quod illas scrutatus erroneas reperisset; eas enim tanquam suæ incongruæ menti, nec unquam delibavit, nec à limine salutavit; Si enim summis attigisset labris, ut cervicosus, & protervæ mentis sit, vel approbasset, vel siluisset docente *Moralium Principe* subesse etiam animis in pessime abductis boni sensum. Sed perinde tam insolenter se gestum in odium modernitatis ratum hujusmodi sententias, nonnisi esse *Neothericorum*, & sibi invisa, *Recentiorum* inventa) subdit: hoc non tantum agnitum fuit ab antiquis quibusdam Philosophis, ut *Cyreniacis*.

Sed quo *Martinum* falsi redargueret irrefragabilem testem sapientissimum Doctorem Sanctissimum Magistrum Ecclesiæ Patrem *Augustinum* affert, non solum *Musitani* sententiæ non adversum, ut *Martinus* somniavit, sed ipsissimam illam solita ingenij sui sublimitate, & optimis verbis declarantem, confirmantem, roborantem etiam à Divo *Augustino* multis in locis. *Dolores* (inquit ille lib. 14. de Civit. Dei cap. 15) qui dicuntur carnis, anima sunt in carne, & ex carne; Nam dolor carnis (subjicit ille) tantummodo offensio animæ est, & quadam ab ejus passione diffensio, sicut Anima dolor quæ tristitia nuncupatur, dis-



sensio est ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt: Sic etiam lib. 7. super Genesim ad litteram cap. 19. cum afflictiones corporis moleste sentit (anima) actionem suam, quam illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, & hæc offensio dolor dicitur. Nec sistit hic Author ipse, sed prosequitur: Dolorem verò, qui corporis nuncupatur, ad animam pertinere, non ad corpus, manifestum omnino fit, ex eo, quod illa, quæ nobis cogitantibus dolorem inferunt, ne ledunt quidem, cum mens vehementi applicatione, aliàs distrahitur, ut videre est in Sacerdote Afro (de quo D. Augustinus lib. 14. de Civ. Dei cap. 2. 4.) qui quando ei placebat, ad imitatas quasi lamentantis hominis voces, ita se auferbat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes, & pungentes minime sentiret, sed etiam aliquando igne ureretur admoto sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere.

Et tandem idem Author advertit; Insuper observandum est indubitam manus dispositionem, motumve ab unctione ortam, propriè dolorem animæ non inferre, sed oportere hunc motum cerebro communicari per filamenta quadam, nervis tamquam tubulis inclusa, quæ fidium, sive funiculorum instar à cerebro usque ad manus, ceteraque corporis membra extenduntur, ita ut moveri non possint, nisi unà moveatur pars illa cerebri, à quâ oriuntur; Quapropter si quid impediat, quo minus hæc nervorum filamenta motum suum cerebro communicent (ut in Paralyti) sine omni doloris sensu quis ferrum patitur, & ignes, cum è contrâ (quod tamen mirum videri potest) manus illi dolere poterit, qui manibus caret, quemadmodum sæpius accidit, quibus manus amputata sunt; Quia si nervorum filamenta à manu ad cerebrum extensa propè cubitum, ubi terminantur moveantur eodem modo moveri, quæ moverentur, si ad manum usque descenderent, ut altera funiculi extremitas potest eodem modo moveri, si per medium trahatur, ac si per alteram extremitatem traheretur; Et hinc animæ eundem dolorem sentiet, quem sentiret, si manus haberet; illuc enim loci attentionem dirigit anima, à quo ille cerebri motus solebat proficisci, qui animam hoc doloris sensu afficiebat; Sic imagines, quas in speculo intuemur, eo loco apparent esse, quo futura essent, si per directos radios aspicerentur, cum ille usitatissimus objectorum videndorum modus sit; Hæc ille.

Quam ergo clara ac vetusta sit opinio *Mustani* quod anima sentiat, non organa, facillimè conjicitur à qualibet mente liberâ, & præjudiciis non obumbratâ.



## PHILALETHES.

Sat benè, arbitrato meo, dubietas, vel minima quemque torquere non debet, at quia huic scopo collimans intimius, & minime hanc rem pertractat præclarissimus Vir *Joan. Alphonsus Borellus in Oeconomia animalis cap. 18. Propos. CCV.* idcirco non est silentio involvendus: Si vera esset (hæc ille) vulgaris definitio doloris, quod scilicet sit divisio continui, procul dubio nulla divisio continui, vivente animali, fieri posset absque doloris sensu, & è converso nunquam dolor contingeret absque continui divisione; Hoc tamen multoties minime verificari videtur, quia ne dum ossa corrodi, & secari possunt, sed etiam cerebri, viscerum & carniū portiones, aliquando abscinduntur absque ullo doloris sensu; Præterea si divisio continui, ut divisio est, produceret dolorem, planè passio dolorifica percipi deberet toto tempore, quo partes dissectæ sunt, scilicet quamdiu vulnera non agglutinantur, quod est falsum; nam solummodo tempore puncturæ, vel dissectionis à tali sensu afficimur, & paulo post cessat dolor. Deinde postquam diversis rationibus illustratam propositionem hanc reliquit, variis aliis asserit in *Propos. CCVII.* Dolorem consistere in perturbato motu spirituum agitatorum, qui per nerveas fibras tactas communicare possunt cerebro consimiles concussiones assimetas, quæ convulsivam illam passionem molestant, & cruciantem inducant, quam dolorem vocamus.

## PHILARETUS.

Satis, superque dictum arbitror, atque cuicumque suum effectum nostrum, hinc inde adductis tot Clarissimorum Authorum opinionibus, ex quibus evidentissimè colligitur *Musitani* sententiam de dolore communem esse (paucis exceptis vetustatem redolentibus) cum sanioribus philosophis; Hinc quàm sint extra rationem allata *Martini* judicia, arbitrio suo quilibet judicabit; Quamquam verò *cancrum rectè progredi* doceamus, quod est impossibile, nihilominus minime silentio prætereunda aliqua, in quibus gloriabundus, & cæco quodam sui amore ductus, *Anti-Trutinans Author*, qui *Cleophonte* ambitiosior de edito Libro *Campanâ superbiâ* plenus redarguit *Musitanum* nostrum, nullam aliam ob causam, nisi quod usus esset vitâ pro animâ; Nonnè pro tantâ *Martini* inscitia rideret, & ipse *Heraclitus*? Quærere posset, exagerat, unus ex *Galenistis* cujus coloris sit vita, quæ ponitur effectiva, & susceptiva Doloris; Forsitan est vitis silvestris,



quæ vinum auferum efficiens offendit, potius quam delectat palatum? An est illud lignum, quod inimicus communis præbuit primis Parentibus, dicendo, comedite de ligno Vitæ, quod comedentes dolorem ipsis tribuervnt, & posteris; Nonne pro tantâ Martini incitiâ ploraret ipse Democritus? Gaspar de los Reyes Eruditissimus, & Jucundissimus Vir in Elysio Campo en ut differit ad hoc confirmandum quæst. 31.<sup>a</sup> Quid sit vita: Joannes Argenterius versalis Doctus multorum affert opiniones, quæ vitæ definitionem tradiderunt, quos tandem ad unum refutans concludit, vitam nil aliud esse, quam essentiam, subsistentiam, & permanentiam rerum animatarum, & hanc optimam vitæ definitionem credit, & meritò cum vitæ nil aliud sit, quàm actus Animæ, qui Philosophis primus dici a solet, seù unico verbo rem exponam, essentialis vitæ ipsa anima est, corpus informans, actvans, idque per unionem essentialem formaliter vivum reddens, nec ab animâ realiter, sed solum modaliter differens, itaut synonyma sint anima, & ipsa vitæ.

#### PHILALETHES.

Luculentè non minùs, quam politè rem hanc recolit in lib. 13.<sup>o</sup> de vitâ, & morte Animalium cap. 1. hujus Sæculi luminare alterum in Philosophiâ peritissimus Gassendus, qui postquam varias de vitâ acceptiones, retulerit postremò concludit: Tame si enim nomine vitæ, intelligenda potius videatur animæ præsentia in corpore, quam anima ipsa, quia tamen quandiu anima adest, vitæ adest, & cum anima esse desinit, vitæ desinit; idcirco vitæ dici potest esse anima ipsa essentialiter, Aristotilemque præclare edixisse vivere esse, viventium esse, quoniam tamdiu esse Animal dicitur, quandiu vivit, & tamdiu vivit, quandiu animatur, animâve præditum est; Usurpari autem pro animâ vitam, vel ex illo extremo Æneidos versu arguitur.

*Vitæque cum gemitu fugit indignata sub umbras.*

#### PHILARETUS.

His ita perspectis ex gravissimis Auctoribus (innumeris aliis brevitati relictis) quam dignus contemptione sit Martinus facile arguitur, ut illi cum Horatio in sermonibus dici possit.

*Naviget Anticyram.*

Stabilitâ igitur opinione, quod pro animâ vitæ accipi possit, rationabiliter loquutus fuit Musitanus dolorem in vitâ consistere, nempe in animâ; Quicquid sophisticè edisserit luxidus Detractor noster eden-  
tulus,



*salus*, ex positâ hypothesisi secundum *Cartesium* manifestè resolvitur; continui solutionem, & intemperiem quisque *Recentiorum* cum *Musitano* dispositrices causas esse volunt, propter quos dolor ab animâ percipiatur; Hinc quicquid continui partes aptum est solvere, divellere, disrumpere, vel alio modo violenter concutere sint salini spiritus, sintvè succi, alij partibus hostilibus constantes, & œconomiam naturalem perturbare valentes pro occasionibus considerantur, sive externis, sive internis adveniant, non per hoc in his, vel in partibus, sive organis dolor, vel qualiscumque molesta sensatio, quam dolorem appellamus, ex animæ advertentiâ, (ut ex hypothesisi pater,) consistit sicuti unusquisque ex sanioribus arbitratur; Aliud est ut concipi nequeat, quomodo anima spiritualis cum sit, hoc quod materialiter sit, sentire possit, uti *Martinus* exclamat; sed huic difficultati respondetur hoc modo positam esse præsidere machinæ huic nostræ ex omnipotente voluntate; non minus tamen ridiculum se facit, cum de contradictionibus *Musitanum* redarguit: *Musitani* verba hæc sunt *Narcoticum enim sensationis organum reddit ineptum ad suum munus exequendum, anodynum leniter dilatat, quæ dilatatio efficit, ut dolorem excitantes particula exeat à loco, vel laxius stent in ipso;* subjungit *Martinus*: *Ecce quomodo hic organum ponitur immediate affectum, cui dirigitur somniferum, non verò animæ;* Huic enim assertæ à *Martino* contradictioni responderetur, uti & in aliis non benè intellexisse hypothesisi de dolore à *Recentioribus*, & *Musitano* positam, hinc exorta puerilia dubia, quibus responderetur *Narcotica, anodyna* operari in organis, non est idem ac dicere dolorem in organis esse; ulterius non est sanè loqui *spiritus salini convellendo, ac divellendo nostri corporis partes dolorem excitant, ergo dolor in partium convulsione, divulsione, solutione formaliter consistit;* nam uti jam dictum est in *Recentiorum* sententiâ, partes, vel quicquid aliud in corporis nostri partibus est, inservit ad deferendum impressum motum animæ in cerebro residenti, à quâ dein, vel dolorifica, vel voluptuosa ad suum munus prosequendum; minimè est bonæ probationis argumentum in ipso dolore consistere, & ita non video, quâ de re *Musitanus* de contradictione arguatur.

PHILALETHES.

De hac assertione neminem dubitaturum censeo, nisi aliquem



minus PERFECTUM Philosophiæ, & Medicinæ Professore unum ex multis, cui tantummodo vanam tribuit gloriam infelix pedisse-  
quorum juvenum manus, qui curandorum morborum praxim com-  
parare cupientes, cum eo ipso incassum per Civitatem discurrent.  
Hos, visu dignum, & risu, præit passu tripedantus ille vanitate an-  
philautia ductus nimium Pythagora diversus aurea docente, & im-  
perante silentium; sed Harpocrati similis tacens, dum interim fru-  
strata illa sequentium unio meliorum nescia *Orestis* forsitan somnium  
sibi invicem commemorant

*Sogni d'Infermi, e sole di Romanzi*

Huic propterea valdè conveniens Epigramma illud *Antonij Guzzij*  
in suo Agrophilo in quemdam Philosophastrum acutissimè, & per-  
bellè conscriptum.

*Imberbi turbæ, rudibusque immixtus Ephebis*

*Diseris integram Sosibiane, diem*

*Hos comites semper ducis per omne lyceum*

*Sic ipsum ingenio vincis Aristotilem.*

PHILARETUS.

Pluries hoc mihi cernere contingit non sine animi oblectamento  
maximo, & cachinno; Hinc si forsitan huic, vel simili, sensus no-  
stri displiceant. Parum refert, quia *Cæcus non judicat de coloribus*.  
Non parùm turbaret animum, si Præceptoris nostro Consultissimo,  
omnigenâ eruditione exornato, Cassiana indicia proferenti, amœ-  
nissimo *Agnello de Neapoli* displicerent admodum, si reprobarentur à  
*Lucâ Antonio Portio* singulari eruditione prædito cum magnâ simpli-  
citate, ut de *Marco Aurelio Severino* ajebat *Thomas Cornelius*; à *Lucâ*  
*Antonio Portio* sagacissimo Naturæ interprete, ut ex ejus rebus Ty-  
pis editis edocemur; à *Lucâ Antonio Porrio*, qui mores hominum mut-  
torum vidit, & Urbes.

PHILALETHES.

Non minus animum tangeret censoria virgula *Luca Tozzi*, & *Tho-  
ma Donzelli*, quibus

*Ex meliore luto finxit præcordia Titan.*

Quibusque debetur (post tria illa præclarissima renovatæ Medicinæ  
fulcimina, post illos Philosophiæ tres Hercules inter vivos *Nicolaum*  
*Susanna*, quem Deus servet incolumem, inter mortuos *Thomam*  
*Cornelium*,



*Cornelium, & Leonardum à Capua* nunquam satis commendatos) uni scilicet Medicinæ Illustratio, tot errorum detectio, tot eruditorum juvenum propagatio; Alteri gravitas, & Nobilitas; ac tempus adveniet ut huius etiam admiremur expectatissima Philosophica inventa, ac perspicaces in natura meditationes; Ut ique scientiâ, ac dignitate conspicuo; unus enim est dilectissimus Iatrophysicus Ecclesiasticæ Majestatis INNOCENTII XII. Pontificis opt. Maximi; Alter electissimus Medicus Majestatis Catholicæ CAROLI II. Hispaniarum Monarchæ inter optimos Maximi; Horum censoria virgula displiceret.

PHILARETUS.

Dummodo igitur enarrati Heroes non dissentiant, bene à nobis actum erit, nec *tempus amisimus, & oleum*, squallidior, macilentior evadat invidia, & ut cum *Marone* loquar.

*Rumpantur ilia Codro.*

Nil profecto ad nos; verum de his *Martino* abunde dictum, quamquam non satis censeo satisfactum; inscitia enim prohibet, nec distrahent istius, aliussvè subsannationes lividæ; munus namque explevisse videbimur, si relatis Heroibus placebimus.

PHILALETHES.

Amice jam hora est concedendi domum.

PHILARETUS.

Votis meis comitor, interim cures obsecro cras hîc esse, ut in cæteris maledicum nostrum confutemus, ex eo potissimum, *ut sciam quam maledicendo voluptatem capit, eam male audiendo amittat.* Vale.

PHILALETHES.

Bene tibi cum *Salustio*. Vale.

VIRIS





VIRIS

*Celeberrimis, & Experientissimis*

PHILOSOPHIÆ, AC MEDICINÆ

PROFESSORIBUS

AGNELLO DE NEAPOLI,

ET

JOSEPHO SEVERINO

Amicis meis Colendissimis.

S. P. D.

JOAN. ANDREAS LIZZANO.



*V*M cautum sit de more scriptoribus suos ingenij  
partus alicui ex Viris Illustribus commendare, ac sub  
illius presidio, & auspiciis in lucem edere; cautissi-  
mè quidem agam vobis (duo Viri Principes Præcla-  
rissimi in Parthenopis Vrbe, Iatrice Professionis ordi-  
ne insignes) ex meis Dialogis unum, in quo *Ποσει-  
δων* nostrum, seu motum sanguinis in Orbem Martini  
vindico oppositionibus nuncupando. Sic, noscet quis-  
quis Aristarcum se fecerit, quod nec Hercules contra duos, & ita benè  
rebus



rebus meis consului, validis me Defensoribus muniens adversus subsan-  
nantes Sciolos: Illum igitur vobis nuncupo, vobis sacro; Tibi scilicet  
Solertissime Agnelle, qui me domi prima selectioris Medicinæ, prima  
præstantioris Philosophiæ rudimenta feliciter explanando, docuisti; Tibi,  
Experientissime Joseph, qui me in magno, piissimoque Incurabilium  
Xenodochio tutiores in medendi Praxi tramites clarissime demonstrando,  
ingenuè instruxisti: Vobis in simul (ut dum Gordiano sacrosanctæ ami-  
citiae nodo conjuncti estis) quos propria virtus conjunxit, aliena invidia  
non separet; & ne quemquam lateat, quam unanimis concordia vestra sit  
commendabilis: Vobis denique, ut pateat, & aliis etiam omnibus ex hoc  
(licet parvulo obsequij symbolo) quas gratias vobis habeo, quam obser-  
vantiam vobis profiteor. Quæ vel in minimis potis est maxima conspici, &  
sat benè mihi actum puto, si grato, dum vobis animo munusculum hoc,  
& me totum dico, pro vestrâ humanitate gratiores vestro animo suscipiatis.  
Æternumque, Viri Clarissimi, valeatote.







# DIALOGUS TERTIUS.

INTERLOCUTORES

PHILARETUS, PHILALETES,  
BRUNUS.

PHILARETUS.

**V** Aldè nimis anxius eram de tuo reditu, *Philalethe*; accersire Te cogitabam: Illa namque mihi fere disrumpebantur in lectione Libri *Vitilitigatoris* nostri. Dispeream, si in excandescentiam labi, & in contumelias prorumpere, me non cogat: Hucusque infra suos limites me detinuit modestia; sed tandem in res incedi tam ineptas, ut dici possit *Authori* quod *Martialis Faustino*:

*Non possunt nostros multa faustina litura*

*Emendare jocos: una litura potest.*

Sed ulterius auderem dicere talem hominem aptiorem fuisse Terram ligonibus, quam sapientium opiniones sophismatibus subvertere.

PHILALETES.

Amabò absit talis animi perturbatio; Videris enim (ut cum *Plauto* loquar) *Nasum satis exasperare*; & hoc non parum officit instituto nostro, cum *Cato* moneat, quod

*Impedit ira animum, ne possit concernere verum.*

Et ira cum sit *brevis furor*, docente *Seneca*, en quid sensit *Tragicus* in *Hyppolito* de furore:

*furor cogit sequi*

*Pejora; vadit animus in praeceptis sciens;*

*Remeatque frustra sana consilia appetens.*

PHILARETUS.

Toto aberras cœlo, si mihi imbecillitati animi hoc tribuas:  
ipsi-



ipfiffima veritas ad hoc impulit; quis enim fatyram non fcribere poterit legens manifefiffimam *fanguinis circulationem à tot tantifque laudatam viris, & comprobata;* ab homine tam tenui, & vel àutoſia incapaci in dubium verti.

PHILALETHES.

DEUS immortalis ! adefl ergo hifce temporibus quem de hoc adhuc hæſitare non pudeat ! Hoc audiens parum abfuit, quin quaſi conſpecto *Gorgonio* capite lapideſcerem : *Oh vanas hominum mentes !* Homuncio hic igitur, hucufque vecors ſuam arrogantiam protendit ! Parcant ſeveræ *Catonis* aures, ſi in *Martinum* quandoque merita erumpimus in opprobria.

PHILARETUS.

Ni timor me detineret, *crambem biſcoctam* apponendi, in voto eſſem cunctas rationes redigere, ex quibus *fanguinis circulatio* probatur ad evidentiam, & clariùs ipſâ luce ; Antequam verò hîc enarrare incipiam *Celebriores Auihores* hac de re affiduo ſtudio, ſedulâ operâ, profuſis expenſis, pluries iteratis experimentis, fiſos, pro ipſâ *Circulatione* pugnantes, liceat mihi *Bardum* noſtri temporis *hominem Margitem* compellare : *Quæ te dementia capit*, tale ut audeas facinus aggredi ? Quomodo potuiſti contra tot invincibiles rationes, contra tot infallibilia experimenta, contra tot regias impenſas temerè gratitare ? *Hebraicâ pertinaciâ* obſtinatior, reſiſtis adhuc ? Repugnas etiam ? & vides tot adſcriptionis olim ſervos *Galenicæ diſciplinæ*, tandem victricibus veritatis armis dediffe manus ? Te miſerum illudunt te ſexcenta illa viva animalia (tecum loquor, *Martine*, tua ſunt verba hæc) pro *Anatomicis cogitationibus perficiendis à Galeno diſſecta* ; Jam video, *Martine*, ſed falleris ; *Græcâ fide* traduntur ; Sed eſto quod ſectio illa reverâ facta fuiſſet ; quid inde ? Non nè huic noſtro feliciffimo Sæculo revelari potuit, quod præteritis latuit ?

*Multa dies, variuſque labor mutabilis ævi  
Rettulit in melius, non omnia grandior ætas  
Nos quæ ſcimus habet ; ſeris venit uſus ab annis.*

Multa Antiquis fuère ignota, quæ nobis tandem poſtrema Sæcula aperuerunt, quemadmodum à canente Vate *Senecâ* Tragico fuerunt anteviſa, & præmonſtrata.



*Venient annis*

*Sacula seris, quibus Oceanus  
Vincula rerum laxet, & ingens  
Pateat Tellus; Tiphisque novos;  
Detegat Orbes; nec sit Terris.*

*Ultima Thule.*

*Psittace*; quænam cadavera secuisti? Unde sumis animum sic impudenter carpendi immortale cedroque dignum sanguinis circulationis inventum? Quod patet ad sensus sophisticis speculationibus exprobandum non est.

PHILALETHES.

Quousque tandem, *Philarete* isthæc digressionem? Nunquam te adeo irâ percitum & aceto perfusum, vidi? Imitemur eia (quia res meretur) Rusticum illum, de quo *Horatius in Epistolis*

*Qui malè parentem in rupem protrusit Asellum,  
Et merito quis enim invitum servare laboret?*

Nos interim (quantum materia suggret) enarremus hîc insignes illos, & veneratione dignos, Authores, qui *Comite fortunâ, Ducibus experimentis* repertum cruoris circuitum rationibus indè excogitatis probaverunt, & feliciter evulgârunt.

Tibi propterea ne sit admiratio, si ab isto *Beotici ingenui homine* scripta sunt, ac excogitata; Discipulus enim est *Becce* *seu* illius *Medici* damnatæ *Phlebotomiæ* defensoris protervi, tetri ægrotantium carnificis, ut *Bonus occursum* possit (tantum ironicè) nuncupari; si tibi obviam fiat; sententiâ enim *Euripidis* edocemur.

*Heu, heu ut illud dictitant, rectè, probrum  
Patre ab improbo non posse nasci filium,*

Et *Venusini Vatis* Oraculo

*Fortes creantur à fortibus, & bonis  
Est in juvencis, est in equis patrum.  
Virtus: nec imbellem feroces  
Progenerant aquila columbam.*

PHILARETUS.

Et *Ariosti* monitu

*Di vacca nascer cerva non vedesti  
Ne mai colomba d'aquila, ne figlia*

*Di*



*Di madre infame, di costumi honesti  
Oltre che il ramo al ceppo s'assomiglia.*

Sed ut hâc in re summum fastigium imponamus à diverticulo ad viam revertamur, oportet : Gyrema igitur seu itus ille sanguinis per arterias ad partes, & reditus per venas ad cor, primò in lucem prodiit hoc nostro fortunatissimo Sæculo singulari Industriâ *Guiljelmi Harvei* Regij Angliæ Medici, & Collegij Londinensis Anatomes Professoris Excellentissimi, ut Angliam ortu suo celebriorem redderet, totique terrarum Orbi suis adinventis maximum beneficium adferret, utque hâc luce honorificè frueretur è maternis claustris feliciter exclusi. Primus, inquam, opinionem hanc literario Orbi edidit, non tamen excogitavit, aut adinvenit, si fides præstanda est gravissimis, eruditissimisque Scriptoribus, quorum sententiâ à nobis traditur, inventionem hanc *Paulo Sarpa* Veneto ordinis Servitarum magno Theologo, Politico, & rerum naturalium indagatori sagacissimo, tribuendam esse, *Joannis Walei* in Epist. primâ de motu chyli, & sanguinis ad *Thomam Bartolinum* verba, hoc probantia, sunt : *Ab hoc Servitâ edoctus Vir doctissimus Guilielmus Arveus sanguinis hunc motum, accuratius indagavit, inventis auxit, probavit firmitus, & suo divulgavit nomine. Hæc inventio, hoc factum hujus sanguinis motus fuit.*

#### PHILALETHES.

Huic opinioni adstipularur peritissimus, ac celeberrimus *Etmüllerus* in suâ Physiologiâ proferens : *Qui motus cum sit in circulum, Authoribus Harveo Anglo, & Conringio Germano inventus, reverâ tamen primus hujus inventi Author fuit Paulus Sarpa Religiosus Venetus.*

#### PHILARETUS.

Me non latet, alios esse quamplures (tuâ tamen indulgentiâ) relictis omnibus mentionem facere placet de Excellentissimo *Cornelio nostro*, qui in Epistolâ dicatâ *Francisco*, ac Ianuario ab *Andrea* Patriæ nostræ ornatissimis, ac sapientissimis Viris elegantissimo stylo, & venustissimis formis suam hac in re promit sententiam : *Varia semper fuisse hominum ingenia, & nostros Italos plerumque in excogitandis rebus excelluisse; nonnullæ autem nationes in illustrandis divulgandisque aliorum inventis, diligentiores, ac paratiores, sese præstare solitos esse. Motum sanguinis, ab Harveo descriptum jampridem agnoverat, & amicis*



*indicaverat Paulus Sarpa Penetus; quin etiam illum multò ante designaverat Andreas Casalpinus, qui in pluribus locis, ac præcipuè lib. 5. quæst. Peripat. quæst. 4. scripsit sanguinem ex dextro cordis ventriculo in sinistrum, per pulmones trajici, atque huic sanguinis circulationi optimè responderè ea, quæ disertatione notantur. Hæc ille; & non solum Casalpino notum prius fuisse, & Sarpa præfatum sanguinis motum, sed aliis etiam Authoribus, quos passim quisque legere poterit, & præsertim in Waleo; non inde tamen minuenda est Harvei gloria, utpotè neque Columbi, qui licet primus de novo Orbe non cogitasset, primus tamen fuerit, qui audacter tanti ponderis opus aggressus fuit, & potitus; sic multi de tali sanguinis circulo pensitaverunt, at Harveus primus fuit, qui rationum glypeo, ac experimentorum gladio armatus, adversus incertitiam, & invidiam, nefanda conviciorum tela vibrantes, tandem divulgavit, & acriter tutatus est. Verum hujus inventi primos Authores scire velle curiosum magis est, quàm utile, idcirco quantò citiùs potest, rem hanc intimiùs aggrediendo pensum absolvamus.*

PHILALETHES.

Tecum sentio, Philarete. Aggrediamur ergo *Circulationis* (et si *circulatorem*) *Adversarium* (quisquis ille sit, sive *stultus*, sive *fatuus*) brevioribus armis.

PHILARETUS.

Quamquam hodie ob innumera præclara experimenta, ac reiterate infallibiles observationes, *circularis sanguinis motus* veritas, non quasi *in crepusculo micet*, sed in medio Cælo constituta fulgentibus radiis totum Orbem illustret, & non solum ad mentem, sed & ad oculos pateat, ut non amplius dubitandi sit locus; Quia verò in Sole maculas hæc tempestate ingenia invenerunt, mirum non est, si hæc in opinione à communi *Philosophorum, & Anatomicorum* amplexâ, non *talpâ*, sed *leberide cecior Medicastræ* noster somniaverit; unus enim est ex illis ab *Hercule Bentivoglio* relatis satyr. 3.

*Ridicoli, inesperti, & ignoranti  
Che non studiar due anni, e furo à suono  
Dì gran campana alzati al Dottorato  
Per amicitia, o per promesso dono  
Che nè Aristotil mai lesser, nè Plato*



*Ne Avicenna, ò Galen, mà due ricette,  
E le regole à pena di Donato.*

Et minori quidem admiratione digna est *Martini* hæc temeritas, & infania, ex eis quæ tradit idem *Harveus* in *Epistolicâ exercit. 2. ad J. Riolanum, J. Filium*, quæ hæc sunt : *Nè oblatrent canes, aut suam ne evomant crapulam, aut ne inter Philosophorum turbam annumerentur quoque Cynici evitari non potest; Verum ne mordeant, aut vesanâ suâ rabie inficiant, vel canino dente rodant ipsa veritatis ossa, & fundamenta cavendum est;* Sed ut clarius hic sanguinis motus secundum *Harvei* placita innotescat, initium ab itinere chyli, recens detecto faciendum. Cibus in ventriculo post debitam fermentationem in liquamen redactus, per pylorum, perystaltico ejusdem motu incitante, in Duodenum detruditur; hic sub chyli nomine succis Pancreatico, & Biliario, initâ ab ambobus levi fermentatione, purior factus, & ab inutilibus, & rebellioribus reliquiis secretus ad reliqua pedetentim intestina delabitur, ubi propriis vasis includi inchoat; hiantibus enim oscillis nonnullarum venarum nomine chyliferarum à substantiâ, lactiferarum à colore insignitarum, inventore *Gaspere Asellio* fugitur (rem satis notam enarro, licet adhuc *Martino* ignotam) per has adjuvante intestinorum vermiculari motu mesenterium pertingit, ex quo meliori modo elaboratus, videlicet permeabilior, & fluidior à lymphâ redditus digrediens ad insigne *Pecqueti* receptaculum ab *Hornio* saccum lacteum, ab aliis cisternam lacteam, & à nostro *Cornelio* in *Progymnasmate de nutritat*. Membranacios utriculos corrivat; sed hic non stagnat, ulterius verò discurrens per ductus Thoracicos in venam subclaviam infunditur, demonstrante hanc viam apertè Excellentissimo *Lovvero* in quâ continuo influxu instillatur, & ita sanguini permistus ambo, mediante tali enarrato vase, dum cor mediâ Dyastole suos ventres ampliat dextrum ventriculum ingrediuntur; deinde per venam arteriosam convehuntur in pulmonem, & per arteriam venosam sinistram ventrem subeunt, atque ab hoc in Aortam mediâ Systole propelluntur, & ab Aortâ in reliquas arteriolas diffunduntur, à quibus per interjectos carnis meatus à venulis absumuntur; per has variè discurrentes in jecur perveniunt tanquam in commune alveum, à quo cribrato prius quodam succo, & peculiari capsulâ asservato (demonstratâ jam

Ana



Anastomosi semper hoc iter adjuvante), demum in cor, denuo per venam cavam ascendentem, perenni, incessantique circulatione eunt, redeuntque spiritus procreando, nutritionem perficiendo, seque enarrato motu conservando variis in secerniculis impuritarum, diversorumque salium secretionem factâ, ovanti quidem cursu triumphantes, non (ut insulse *Martinus* infert) *Ixionis* gyro damnati.

PHILALETHES.

Concinnè profectò, & satis clarè in hoc Mæandrico chyli, & sanguinis itinere te gessisti, sed perpendere non desino, & admirari incapacem illorum intellectum, qui cum *Martino* sentientes præclarum hoc exprobant adinventum.

PHILARETUS.

Hoc equidem non est, quo mei pars animi in stuporem impellitur, *arriguntur horrore comæ, & vox faucibus hæret* quoties probè considero, opinionem hanc nedum in incunabulis, aut infantiâ, sed tot Herculeis rationibus suffultam, gravem Majestate Patrocinantium, admirandam incedere; & inveniri talis farinæ hominem, quem non pudeat malis eam sensibus conspurcare; sed *mittamus illum ad Halenta* ex Theocrito

*Vade ad Halenta, atque inde Cyclaminum effodias*

Ut hoc adhibito remedio cerebrum crassâ exoneret pituitâ.

Tanti roboris est hoc adinventum, & talibus, tantisque rationibus innixum, ut quamplurimi insignes Authores aliud prius sentientes coacti sint mutare sententiam, illudque amplecti totis selectæ Minervæ viribus tueri, nova experimenta excudere, novasque rationes rimari ad magis, magisque confirmandum, quam credere, ac encomiis exornare incipiebant, quâ publicis typis, quâve privatis colloquiis.

Sed jam tempus est audiendi unum ex istis *Vopiscum Fortunatum Plempium*, in Academiâ Lovaniensi Iatrophysicum insignem, & acerrimum *Harveani* circuli oppugnatorem, qui postquam veteris Medicinæ fundamentis per multos annos Excellentis Magistri partes agens adhæssisset, & valdoperè insudasset in eruenda funditus *Harvei* doctrinâ, en tandem mutato consilio, quæ verba, *Harveo* faventia profert quodque synceram, & veram sapientiam redolens, judicium



judicium promit in lib. 2. de fundamentis Medicina cap. 7. Nuper Angliam novam peperit de motu cordis opinionem quam invulgavit Guilielmus Harveus, edito ea de re peculiari libello sententiam suam multis plausibilibus rationibus adstruit, adeo ut jam multis doctis hodie arridere incipiat, nomineturque honoris causa à quodam conterraneo suo Circulator Microcosmi ad distinctionem alterius Angli, qui primus Macrocosmum circulavit; Primum mihi inventum hoc non placuit, quod voce, & scripto publice testatus sum; sed dum postea ei refutando, & explodendo, vehementius incumbo, refutor & ipse, & explodor, adeo sunt rationes ejus, non persuadentes, sed cogentes; Diligenter omnes examinavi, & in vivis aliquot canibus, cum in finem à me dissectis verissimum comperi; Hoc ut facerem monitus quoque à Clarissimo Walæo Professore Leydensi, cujus Viri candido sedatoque ingenio, & judicio plurimum tribuo, multumque in hac ipsa materiâ acceptum refero.

PHILALETHES.

Maximum quidem candidæ veritatis ingenuique animi exemplum, & admiranda superioris Judicij methamorphosis, Palinodia septem famæ tubis promulganda? At profundo Democriti puteo demum emersa veritas triumphali cursu Anatomicâ nostri sæculi diligentia vecta hujus Magni Viri, non solum, sed plurium illuminavit virorum ingenia. Ecce præter Vopiscum, ut differit in alloquio ad Lectorem in libello de corde apud Rote rodamentes Iatricæ artis Professor insignis Jacobus Bach Belgicus de Harvei sententiâ. Hanc ego rem novam examino, quæ primo aggressu facile refutari posse videbatur, sed justâ exagitatâ Trutinâ, adhibitâ cum ratione autopsiâ, inexpugnabilis, imò cogente veritatis stimulo, ambabus amplectenda ulnis reperiebatur. Quid faciendum? An ne relinquendus Hippocrates? postponendusque Galenus? minimè si veritatem, rationibus, ipsisque sensibus munitam sectamur, sumus Hippocratis, sumus Galeni nihil contemnendum, ait Senex, nihil judicandum temerè Clarissimorum Virorum scripta, hic anne sensibus pateant, anne dissentiant, examinare jubet. Veris fundamentis rationalis, & dogmatica Medicina nititur, & nisi quod veritate comprobatum firmum, stabileque judicandum est, Accrevit in dies hæc primò putatâ in Medicinâ hæresis, ut non solum Angliæ nativi soli Academies, sed & Germaniæ, Galliæ, & Belgij nostri Universitates perambulaverit, & præter ingentem doctissimorum Virorum numerum etiam Professores pluribus in locis sibi ad-



*dictos reddiderit; Quorum nonnulli publicis lectionibus, disputationibusque, nec non editis scriptis, opinionem hanc tandem divulgârunt per quam magno studiosorum applausu, ut vix reperias creatum Doctorem, cui sanguinis circulatio non innotescat, imo arri-deat; Et paulo inferius de suis Collegiis loquens, hoc inquit cum prius rationibus, & autopsiâ adducti, & evecli Harvei de motu sanguinis suscepissent, & editis scriptis approbassent; Hæc ille annosus Professor, currente jam secundo supra trigesimum anno, ex quo se praxi dederat, Galeni rancidâ theoricâ edoctus; Nepam cum imitans, gloriosè cum Persio Satyr. V. dixit.*

*Quæ dederam supra repeto, funemque reduco.*

Et nunc nescio à quâ cryptâ egressus homuncio iste, cui convenit illud:

*O Medica tranquillitatis turbatorem!*

*O Medica Reipublicæ seditiosum civem!*

Qui *Daucus* cum sit, & non *Oedipus*, ultra *Hiperbolum* Theonino dente illa rodit axiomata, illas carpit opiniones, quæ à tot literatis Heroibus repertæ approbantur, amplectuntur, laudantur.

PHILARETUS.

Vis tamen ut te in admirationem illabi faciam? Præsta mihi parumper patientes aures: In varias Orbis regiones, ac celebres earum Academies, præclarum hoc *Adinventum* penetrasse, refert *Bachius* à te notatus; ille tamen occubuit absque illa consolatione, quâ nos hodie fruimur; de Hispanis ingeniis loquutus, in quorum numero, & ordine, & ipse erat? minimè; At mirandum dictu, incredibile auditu? Ubi tam cæca applicatione *Galenus* colitur, & pro Galeno Axiomata, etiam falsa tuentur Medici; En demum unum ex illis talibus, differentem *de circulatione sanguinis*, ac de ejus *Inventore*. Sed quemnam opinaris? Minimum fortè in Medicâ Professione? Nequaquam, imo *Galeni* Alcidem, *Gasparem nempe Brauo de Sobremonite* dignissimum à cubiculis Medicum Monarcharum Hispaniæ PHILIPPI IV. & CAROLI II. regnantis (dum fors objecit de hoc Amplissimo Principe verba facere, feras æquo animo, rogo, dicam: O sit tandem universis Populorum notis, assiduis precibus, teneris lacrymis assentiens, consolationum Deus, & Pater Omnipotens, illi sobolem exoptatam concederet? quo gaudio Regnum, plurima



plurima Regna, Orbes ambo replerentur) *Hic igitur perdoctus Vir in 2. tom. resol. & consult. ita pluribus in locis loquitur, & primo de Circulatione hæc verba. Quod Galenus in infantiâ Anatomæ, quam in cadaveribus tantum exercuit, cum non potuit sanguinis circulationem, & motum percipere. Et alibi (licet huius loci non sit) de Galeno taliter, lien non est conformatum à naturâ, ut sit receptaculum humoris melancholici redeuntis à jecore, quod Galenus, & reliqui Antiqui, dogmatici illi scribentes, finem præcipuum, in quem fuit à naturâ conformatum, ignorârunt; & ideo alium illi imposuerunt, à Neotericis reformatum. Tandem quid (Harveo favens,) sequitur, audi: Quod Harveï doctrina sit vera, non obstat, quod nova, & ab illo noviter dicta; quia in naturalibus, non tam qui dixit quàm quid dixit examinandum.*

PHILALETHES.

Sapiens proculdubio, talisque præstantis ingenij Viro dignum iudicium: Nil proinde desideratur ad effectus mirabiles ostendendos, quos nobis datum est historicâ fide observare ab evidenti, infallibilique hac opinione productos; Tametsi de aliis innumeris larga mentio hic fieri posset; varia enim adsunt exempla illorum, qui supinè admodum prius hac in re philosophati, tandem intrepido corde fautores eximij, & invicti in arenam descenderunt: At ne omisâ Hyperâ pedem insequi videamur; Rationes nunc enarremus, à quibus tot sententiarum nobiles mutationes. Excrucior tamen non adhuc ad nos pervenisse (ut pollicitus mihi erat) morum candiditate præclarum, amicum nostrum *A. Brunum.*

PHILARETUS.

Compendiosè, & clarè differentem, ex plurimis optimum selegemus Authorem. Ohe *Brunne*, de te nunc sermo erat, hicque cupidi expectabamus.

BRUNUS.

Benè vos *DEUS* fortunet, amici carissimi. Quid agitur de inchoato opere? capistis *bonis avibus*, ac (*Deo dante*) melioribus perficietis.

PHILALETHES.

De magis *DEUS* servet te, animæ dimidium nostræ: prosperrius nobis dies erit, nostrumque ceptum apologeticum colloquium tuis auspiciis prosequamur felicissimè; aliquantulum tamen vesper-



tinus advenisti, opportunus itidem, proximus namque conclusio imminenti eloquio rationum *sanguinis circulationem* probantium.

PHILARETUS.

Deliberatio mea est, rationes à Celeberrimo *Cartesio* consideratas, hîc memorare; dein si quid, vobis occurrerit, dicetis ad maiorem tanti operis dilucidationem, ad nostrum documentum, & ad discindendas *aranae casses*, dico ad dissolvenda *corticea argumenta*, quæ *Martinus* noster, somnians, ut credo, ab aliquo scriptore *Agresti* decerpfit, & in suo *bellulo libello* conscripsit. Sed prius *Varro*, *Babalo* nostro dicam, liceat ex *Juvenalis Satyr. XIV.*

*Ocyus Archiginem quare atque eme, quod Mitridates composuit.*

*Cartesius* igitur lumen illud Philosophiæ splendidissimum, ita in *disserat* de methodo, cordis motu explicato, non minus argutè, quàm evidenter de *sanguinis circulatione* loquitur; Audite verbatim à tanto *Viro*: Sed si queratur (ait) quâ ratione fiat, ut *sanguis venarum* ita continuò in cor defluens, non exhauriatur, & arteriæ nimis plene non sint, cum omnis sanguis, qui per cor transit in eas ingrediatur: Non opus est ut aliud respondeam, præter id quod jam à quodam Medico *Anglo* scriptum est, cui laus hac tribuenda, est quod primùm in istâ materiâ glaciem fregerit, primusque docuerit multas esse exiguas vias in arteriarum extremitatibus, per quas sanguis, quem à corde accipiunt, in ramulos venarum ingreditur, unde iterum ad cor redit, adeò ut motus ipsius nihil aliud sit quàm perpetua quædam circulatio; id quod optime probat ex ordinariâ experientiâ Chirurgorum, qui brachio mediocri cum adstrictione ligato supra locum, ubi venam aperiunt, efficiunt ut sanguis inde copiosius exhiliat, quàm si non ligassent; Planè autem contrarium eveniret, si brachium infra ligarent, inter manum videlicet, & aperturam, aut si illud supra valde arctè adstringerent? Manifestum enim est vinculum mediocriter adstrictum posse quidem impedire, ne sanguis qui jam in brachio est ad cor per venas redeat; non autem nè novus semper ex Arteriis affluat, eo quod infra venas sint collocata, & durior ipsarum cutis, non ita facile comprimi possit; quodque etiam sanguis è corde veniens, majore cum vi per ipsas ad manum transire contendat, quàm inde ad cor per venas redire. Quoniam verò sanguis iste ex brachio exit per aperturam in unâ venarum factam, necessario meatus aliqui infra vinculum, hoc est circa brachij extremum esse debent per quos illuc ex arteriis venire queat.

Optimè



Optimè etiam id quod de motu sanguinis dicit, probat ex quibusdam pelli-  
culis, ita variis in locis valvularum instar circa venas dispositis, ut ipsi  
à medio corporis ad extrema transire non permittant, sed tantum ab ex-  
tremis ad cor redire; Præterea experientiâ, quæ ostendit, omnem, qui in  
corpore est, sanguinem inde brevissimo tempore exire posse per unicam  
scissam arteriam, etiam si arctissimè propè cor esset ligata, atque inter ipsum,  
& vinculum scissa, adeo ut nulla esset suspicandi occasio, sanguinem egre-  
dientem aliunde, quam ex corde, venire.

Crederet quis Cartesium hic sistere, non sistit tamen; Audite:  
Sed multa alia sunt (ipse prosequitur,) quæ hanc quam dixi, veram  
istius motus sanguinis causam esse, testantur; ut primò differentia, quæ ob-  
servatur inter sanguinem, qui è venis exit, & eum, qui ex arteriis pro-  
manat, quæ aliunde oriri non potest, quam ex eo, quod transeundo per  
cor, rarefactus, & veluti distillatus fuerit, atque ita subtilior, vividior,  
& calidior sit, statim atque inde exiit, hoc est cum in venis stabulabatur.

Et si probè attendatur, comperietur, hoc discrimen non apparere ma-  
nifestè nisi in vicinia cordis, minùs autem in locis ab eo remotioribus.  
Deinde tunicarum, è quibus vena arteriosa, & magna arteria constant,  
durities satis ostendit sanguinem ipsas majore cum vi, quàm venas pulsare.  
Cur etiam sinistra cordis cavitas, & magna arteria ampliores essent, &  
latiores cavitate dextrâ, & venâ arteriosâ, nisi arteriosa vena sanguis,  
pulmonis solum ingressus, ex quo per cor transit subtilior esset, & magis,  
faciliùsque rarefieret, quàm sanguis immediatè è venâ cavâ procedens? Ea  
quid expulsus contrectatione conjicere possunt Medici, nisi sciant, sangui-  
nem? prout naturam mutat, magis, aut minus celerius, vel tardius,  
quam antea à cordis calore rarefieri posse? Et si expendatur, quomodo  
iste calor aliis membris communicetur? nonnè fatendum est id fieri ope  
sanguinis, qui per cor transiens, ibidem calefit, indeque per totum corpus  
diffunditur? Unde fit ut, si aliquâ ex parte sanguis dematur eadem operâ,  
dematur calor. Et quamvis cor ardore, ferrum candens aquaret, non  
sufficeret tamen ad pedes, & manus, adeo, ac sentimus, calefaciendum,  
nisi continuò illuc novum sanguinem mitteret. Deinde etiam ex eo cogno-  
scitur, verum respirationis usum esse, satis recentis aëris in pulmones in-  
ferre, ad efficiendum, ut sanguis qui eò ex dextro cordis ventriculo de-  
flexit, ubi rarefactus, & quasi in vapores mutatus fuit, ibi increpescat.



& denuo in sanguinem convertatur, priusquam in sinistrum refluat; sine quo alendo, qui illic est, igni aptus esse non posset. Idque ex eo confirmatur, quod videamus animalia, pulmonibus destituta unicum tantum cordis ventriculum habere: Quodque in infantibus, qui eo uti non possunt quamdiu sunt in matrum uteris inclusi, foramen quoddam deprehendamus, per quod sanguis è venâ cavâ in sinistram cordis cavitatem defluit, & brevem tubum, per quem è venâ arteriosâ ad magnam arteriam, non trajecto pulmone, transit. Deinde quomodo fieret concoctio in ventriculo, nisi cor eò calorem per arterias immitteret, unâque fluidiores aliquas sanguinis partes, quæ injecti cibi comminutionem adjuvant? Nonne etiam actio, quæ istius sibi succum in sanguinem converterit, facilius est cognitu, si consideretur illum reiteratis vicibus, & forè plus quam centies, aut biscenties, singulis diebus per cordis ventriculos totum destillare: Quæ vero aliâ re indigemus ad explicandum nutritionem, & variorum, qui in corpore sunt humorum productionem, nisi ut dicamus impetum, quo sanguis dum rarefit à corde ad extremitates arteriarum transit, efficere ut aliquæ ipsius partes subsistant in membris, ad quæ accedunt ibique locum occupent aliquarum partium, quas inde expellunt, & secundum situm, aut figuram, aut exilitatem pororum, quos offendunt, quosdam potius in certa loca confluere, quàm alias, eâdem ratione, quâ fieri solent quedam cribra, quæ per hoc unum, quod diversimodè sint perforata, variis frumenti speciebus à se invicem separandis, inserviunt? Denique id quod hic super omnia observari meretur, generatio est spirituum animalium, qui sunt instar venti subtilissimi, aut potius flammæ purissimæ, quæ continuo à corde magnâ copiâ in cerebrum ascendens, inde per nervos in musculos penetrant, & omnibus membris motum dant; itaut non opus sit aliâ imaginari causam, quæ efficiat, ut partes sanguinis, quæ eo, quod sint magis cæteris agitatae, & penetrantiores, aptissimæ sunt ad istos spiritus componendos, potius ad cerebrum, quàm aliò contendant; nisi quod arteria, quæ eos illuc deferunt, rectissimâ omnium lineâ à corde procedunt; & quod secundum mechanices regulas, quæ eadem sunt, atque regula naturæ cum variæ res simul ad eandem partem contendunt, ubi satis spatij non est omnibus recipiendis, sicut contingit in partibus sanguinis, quæ à sinistro cordis ventriculo exeunt, & ad cerebrum tendunt, necesse sit ut debiliores, & minus agitatae inde evertantur à validioribus, quæ hâc ratio-



*ne eò sola perveniunt. Hucusque Renatus, Re Natus ad miracula: Quid tibi, Brune, quid Philalethe videtur? Nonne præstanda fides Viro, inter studia, & experimenta consultissimè consumato?*

PHILALETHES.

*Renati gloria melius celebratur silentio, quàm commendetur encomio, sed quid dicit Brunus de isto Manducone nostro Martino Scriptore imi subsellij, strychni degustatore?*

BRUNUS.

Stupidior semper evado, quotiescumque hoc attentatum perpendo. Sed vigeat pietas, vigeat commiseratio: Curemus, quæso, ad insigne *Incurabilium* Nosocomium deferatur: Nostrum deinde erit illum commendare amabilissimo *Severino* nostro perspicacissimo, Archiatri vices peritissimè, ac dignissimè agenti; ut nempe verberibus sepositis, & catenis (quatenus tamen ejus curatio ferat), in *Rotâ magnâ* forsan *Ixionis* damnato, *Mellampodium* exhibeat, ac *Juvenalis methodo* mediam contundat venam, sanguine ad coloris mutationem, (ni satius credat) ad vitæ finem detracto.

PHILARETUS.

Audistis jam rationes à *Cartesio* descriptas; Scire nunc deberetis delirantis *Censoris ficulneas oppositiones plumbea jacula*; Absit verò refutatu digna censere, & quàm verè hoc à me dictum sit, quisque nobiscum arbitrabitur ex *lateritio* primo supposito, *puerorum crepundis* dignissimo pro firmâ base cavillationum posito. *Martinus* igitur ita somnari incipit; *Antequam itaque intrinsecum questionis aggrediar, suppono primò, sanguinem fieri in hepate ex chylosâ portione in ventriculo, & intestinis elaboratâ.* Deinde (si possibile est, risum teneatis, amici) subjungit: *licet Bartholinus non rubuisset asserere postquam fassus sit, Galenum sexcenta animalia viva secuisse pro anatomicis veritatibus capeffendis, sanguificationem non fieri in hepate;* Et alibi, scilicet in cap.  
de



de hepatico fluxu, hisce neniis eundem Bartholinum laceffit; Quare Aesculapius cause Commissarium fecisset Thomam Bartholinum pro hac lite dirimendâ, qui habitualement antipathiam servans adversus Galenum, gratis in suâ Anatome reformatâ, pag. 144. talem protulit sententiam, comite fortunâ, lymphaticis vasis à nobis repertis, chylum ad hepar non deferentibus antiquo hepar munere spoliare coactus sum, & exequias illius sanguificationi parare. Hæc ille silentio involvens cætera, quæ Bartholinus habet in relatâ paginâ, & alibi non minùs candidè, quàm modestè, suam emanans sententiam, evidentissimis observationibus roboratam. Nequam magnus homo Antipathicum asserit Bartholinum Galeno, cùm ille de Galeno semper honorificè sit loquutus, ipsa-que variis in locis præfatæ Anatomix sequutus. Sed quàm diversimodè citatus sit ipse Bartholinus, videbitis, imò judicabitis ex genuino hoc loco, quem propriis oculis vidi, & Calumniator noster malis forsàn auribus audivit: Cæterum (ait Bartholinus) labore duce, comite fortunâ, lymphaticis vasis à nobis repertis, ex hepate lympham non Chylum ad Hepar vehementibus, Antiquo Hepar munere spoliare coactus sum, & exequias illius sanguificationi parare; Non odio Antiquorum (hic vellem Martini oculos lippitudine purgatos) quos donec potui, vendicavi; nec inconstantia, quam in me excusant eruditi, sed laudabili ingenuitate, ut Barbatius vocat, & naturâ sic jubente.

Item ad hujus ingenuitatis confirmationem, nec minimum ostendens odium in Antiquos, & alibi ut scribit: Hic annus majora prodidit, quæ Anatomicorum quotquot Sacula cuncta suspexerunt, hætenus oculis effugerunt: Ab obstentatione semper fui alienissimus; Sed syncerè dico, quia laureolam in hoc mustaceo non quero rerum mortalium satur, & contemptor. Demum quanta veneratione Bartholinus sit prosequutus hepar, ab Antiquis aded commendatum, colligi potest ex hisce periodis, atque ex nobilissimo tantùm visceri conscripto Epitaphio. Ego interim (prosequitur) antiquæ venerationis memor, nè sine publico monumento tot Saculorum abdominis nostri rector, ignotus jam busto inferatur, in perpetuum, bene feliciterque per bis octo Sacula administrati cruenti Imperij memoriam, donec Panegyris condatur hanc ultima devotionis inscriptionem tumulo illius conservandi.



SISTE VIATOR,  
CLAUDITUR IN HOC TUMULO, QUI  
TUMULAVIT  
PLURIMOS  
PRINCEPS CORPORIS TUI COCUS  
ET ARBITER  
HEPAR NOTUM SÆCULIS  
SED  
IGNOTUM NATURÆ  
QUOD  
NOMINIS MAJESTATE, ET  
DIGNITATIS  
FAMA FIRMAVIT  
OPINIONE CONSERVAVIT  
TAMDIU  
DONEC CUM CRUENTO IMPERIO  
SE IPSUM  
DECOXIT  
ABI SINE JECORE VIATOR  
BILEMQUE HEPATI CONCEDE  
UT SINE BILE BENE  
TIBI COQUAS ILLI PRÆCERIS.



Hac occasione recordor nostrum egregium *Antigonistam* non pudere *in citato loco de hepatico fluxu* lymphaticorum inventionem, & existentiam denegare, & dubiis involvere, quod tanto labore, prosperâ fortunâ, non exiguis expensis, & experimentis se è infuitis invenerunt, & probarunt *Anatomici* hujus nostri felicissimi Sæculi, dexterrimi, & meritissimi *Authores*, quibus clausis oculis (ut dici solet) præstanda fides; quales sunt inter alios *Jolivius* Anglus, *Thomas Bartholinus*, *Olaus Rudbeck*, *Fredericus Ruysch*, & *Cuntherus Christophorus Schelkammeri* omnes immortalitate digni. Non puduit ergo *Martinum* tot contra Heroës inficias ire, nullis aliis armis, præter sophisticas aliquorum Propositiones: oh execrandam temeritatem! bonè DEUS! sit arbitrio suprema maledicentia, ipsa damnet, si potest, & *Bartholinum Galeno Antipathicum* dicat, & non potius *veranda veritatis sympathicum*. Damnet quod infallibili oculorum fide nobis ostenditur. His ita perspectis, nonnè evidenter corrui primum suppositum, *Hepar* nempe sanguificare? & diruto fundamento, nonnè corrunt rationes, & argumenta illi innixa?

PHILALETHES.

Nullius equidem pretij *Martini* censuram semper existimavi, licet non legerim conjecturam ducens ex *Authoris* ineptia, eo magis quia quicquid evomuit aliquorum ignorantia refractum vidi à præstantissimis defensoribus, quos si forte *Martinus* videre cupiat, à cæcitate prius, à servili jugo, & juramento in verba Magistri, ac à Logicis Hircocervis substractus, & fugatis à mente tenebris; juro me ipsi dicturum ex fraterna charitate præ manibus habeat eruditissimum Virum; Equitem Auratum, *Georgium Entium*, a quo satis, superque confutatur, & confunditur unus ex temerè existimatis invictissimis *circulationis sanguinis* hostibus *Parissanus*.

BRUNUS.

Alio tunc ego remedio sanare *Martinum* vellem, affectuosa scilicet commendatione *Luca Antonio Portio* nostro publico Anatomico peritissimo, ut institutâ viventium animalium dissectione, adjuvante diligentissimo cultro *Dominici Gavessini* hanc demonstrationem ab illo videri fineret; Nunc verò diffiderem, imò de eventu nimis timerem; præoccupatus enim *Martinus* observantiâ erga *Galenum*, vel  
non



non perciperet, vel perceptum fateri repugnaret. Lepidam, ad rem, narrat historiam Literatus, & Candidus Vir *Leonardus à Capua noster, à Sagredo apud Galileum, & est, ut sequitur: Mi trovai à casa d'un Medico molto stimato in Vinegia, dove alcuni per loro studio, altri per curiosità convenivano talvolta à veder qualche taglio di Notomia, per mano d'unno, non men dotto, che diligente, e pratico Notomista, ed accadde quel giorno, che si andava ritrovando l'origine, e nascimento de' nervi; Sopra di che è famosa controversia infra Medici Galenisti, e Peripatetici, e mostrando il Notomista, come partendosi dal cervello, e passando per la nuca, il grandissimo ceppo de nervi, s'andava poi distendendo per la spinale, diramandosi per tutto il corpo, e che solo un fil sottilissimo, come di refe, v'arrivava al cuore; voltosi ad un Gentilhuomo, ch'egli conosceva per Filosofo Peripatetico, e per la presenza delquale egli havea con straordinaria diligenza scoperto, e mostrato il tutto; gli addimandò, s'egli restava ben pago, e sicuro, l'origine de nervi venire dal cervello, e non dal cuore; al quale il Filosofo, dopo essere stato alquanto sopra di se rispose, voi m'avete fatto veder questa cosa, talmente aperta, & sensata, che quando il Testo d'Aristotile non fosse in chiaro, che apertamente dice i nervi nascere dal cuore, bisognerebbe per forza confessarla per vera.*

#### PHILARETUS.

Amborum cogitata laudo, sensata approbo judicia; Sed mea opinio fortè videbitur paradoxica; impossibile enim est, quin illam primo aspectu non reprobetis, dein forsitan eidem hærebitis. Refutatu indignas fassus, nunc quoque enarratu arbitror: Aliquis tamen dicet, quod nos hoc modo objectiones eludimus, non dissolvimus, & *Martinus* festivus *saper da caudato Pavone* Superbior fiet.

*Ante diem blando caudam jactare Popello.*

Et fastuosus opinabitur cum suis affeclis Gordiana ejus noda solvere minimè potuisse, & hoc prætextu effugere: At hoc est, quod dicere in animo erat, hoc dubium prævidens dilucidare perpenderam. *Martinus* ipse (paradoxicum prolatum, quod paucis periodis verificatum videbitis) suis assertionibus *sanguinis circulationem* confirmat, non disturbat; confirmat inquam fatuis oppugnationibus, quas ineptè profert contra rationes relatas, & alias repertas



ab *Harveo, Louvero, Pecqueto, Bartholino Wallao, ac Tozzi*, Authoribus sibi pænitus ignotis, & si notis depravatissimo auditu hinc ab ipso malè intellectis, & unà pessimè descriptis. Stabiliorem postea reddit, cum evertere, probando contrarium nititur, & ab allatis nugamentis evidentiorē redditam arbitror: Paradoxum est; non credunt forsā? legant (si tamen hanc temporis jaēturam conscientia feret), & cernent evidentissimè, quod hucusque non tantum verum, sed & verissimum.

#### PHILALETHES.

Adversus relata experimenta sanguinis circulationem probantia nova jam excogitavit, ac adinvenit, præter quæ reperiuntur apud *Riolanum, Primerosium, & Parisanum*.

#### BRUNUS.

Et præter notas aliorum ineptas cavillationes, alias adinvenit *Martinus*?

#### PHILARETUS.

Nequaquam hinc tale indicium protuli, nec nova experimenta, nec rationes aliquas memorat, nisi veteres, & decrepitas. Ab hoc semper majorem evidentiam adepta fuit *Sanguinis Circulatio*, & sic de *Pseudomedico* isto easdem feret, non alias palmas. Audistis jam, ac percepistis, quàm benè, quàm clarè, quam evidenter erutum sit fundamentum hoc circa *Hepar*; evellamus nunc, & aliud non minus futile, ac ridiculum primo; licet in *Martino* erudito *corticem tenuis*, præstantissimum, & indissolubile decantetur. Dicit igitur quod sicut *Moderni* (verbum hoc *Moderni* notandum in *Vocabulario Latino Martini* authore, nam ibi desideratur.) Dicit, inquam, quod sicut *Moderni non præcellunt antiquos in aliis facultatibus, ita nec in Medicinâ novissimi prævalebunt primis, hinc inferendo, si Galenus ignoravit, nequivit Harveus cum recentioribus sanguinis circuitum reperire.*

Sed audiat *Senecam*, in *Epistolis* proferentem. Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: Multum adhuc restat operis, multumque restabit; nec ulli nato post mille *Sæcula*, præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.

Quod



*Quod autem ita sit ingeniosus Martinus inquit: Testatur prius Pi-  
ctura, in qua non amplius inveniuntur Apelles, & Zeuses primus cum per-  
fecisset Alexandri imaginem fulminantem, dicit historia, quod digiti emi-  
nere videbantur, & fulmen extra tabulam esse: Secundus uvas ita na-  
turales, ut aves ad illas concurrerent, delusæque redirent ejus canendo  
laudes. Alias non refero, sed sciatis idem sentire de Sculpturâ, de  
Architecturâ, de Cosmographiâ, de Geographiâ, de Astronomiâ, de  
Mathematicâ, ac de Poësi. Quid hinc verò inferre velit, aut possit,  
non comprehendo. Dato, sed non concessio, quod in præfatis Disci-  
plinis, non solum non præcelluisse Recentiores Antiquis, imò in dete-  
rius ivisse; quomodo inferri posset, ergo nec in Medicinâ? Infertur  
potius ex Argumento isto Martini, quod Martinus ipse sit sicut equus,  
& mulus, quibus non est intellectus.*

PHILALETHES.

*Romani tollent Equites, Peditesque Cacinnum.*

Ultra crepidam sapere, & omniscius videri cupit Martinus & est  
ineptior Ardelione.

BRUNUS.

Et reperitur homo, quem hucusque impellat *insanabile scribendæ  
Cacoëthes*, ut ab omnibus derideri, sua interesse non censeat, modò  
legantur ineptiæ suæ?

PHILARETUS.

Jam non solum mente percepistis, sed etiam manibus, ut ita  
dicam, tractastis, Martini inscitiam: Oh quam benè sibi consului-  
set Archimerita iste, si quam dedit operam evolvendis Philosopho-  
rum scriptis, quæ penitus non intelligit, dedisset lectioni Libelli,  
cui titulus *l'Oggidi per Lancellottum* conscripti, & Libri, cui titulus  
*de' Varj Pensieri*, per Tassonem exarati? Artium namque, & Profes-  
sionum ortum, & progressum, edoctus, ridiculas has ineptias non  
protulisset: Pleraque transactis agnita Sæculis (absit quod dene-  
gem) deperdita sunt: ex frequenti olim Purpuræ usu hac tempe-  
state extat solum memoria; idem de Catapultis, Arietibus, aliisque  
bellicis instrumentis, & sic de singulis mille aliarum rerum generi-  
bus, ut patet consideranti; Pro quibus majori hominum perspicua-  
cia emerferunt multa, ac itidem hominum negligentia, vel dura



necessitate, multa deperdita, vel præstantioribus inventis cedentia perierunt, absolverunt. Joci viderentur hisce temporibus Arietes, & Catapultæ, ubi ad evertenda Mænia, Tormenta obsidionalia adinventum sunt: Noverunt nè Prisci milites Tormenta obsidionalia? Noverunt Sclopos? Noverunt Pulverem bellicum? Noverunt Cuniculos? Minimè: successivè recentiora tempora prodiderunt. Noverunt prisci milites (horribiles memoratu) Tartareos (ut aiunt) Globos,) *Carasse* communi vocabulo nuncupatos), quibus Urbes irreparabiliter evertuntur, inflammantur? Minimè: Tempestate nostrâ paucis ab hinc annis, inventi sunt.

PHILALETHES.

Parum dolemus carentes Purpurâ, cui substituta habemus Serica inventa, visu nobiliora, usu commodiora, variis semper arte coloribus, naturam ipsam ludentibus, insignita, sed heu in quem sermonem incidimus! In infinitum protendi posset.

PHILARETUS.

Primum Argumentum à nostro ignoto homine repentivo in literarum ordine penitus extero excogitatum, illud est, quod de *Apelle*, ac de *Zensi* circumfertur à Græcis: Juro per *Martinum* tanquam per muscam in Apuliâ, quod, si *laudatos Lancelloti, ac Tassoni libros*, vulgari Italico idiomate conscriptos, ipse legisset, semetipsum publico neglectui expositum non parasset. Credit hæc Græcorum commenta, credet, & alia, comam scilicet *Berenicis* in Cælum translata, ac in Sydera versa: credet, *Amphionis* lyram traxisse lapides ad construenda Thebarum mœnia.

*Baia, ch'avanza in ver quante novelle  
Quante mai disser favole, e carote  
Stando al foco à filar le Vecchiarelle.*

Et est possibile hominem adeo cæcutire, ut felicissimæ ætatis nostræ tot illustrium Virorum opera admiranda non videat? Objicit decrementum Picturæ, quia nescit quantum luminis, & perfectionis Pictura receperit ab immortalibus viris *Titiano* nempe, *Raphaele ab Urbino, à Bonarota*

*Michel, più che mortal, Angel Divino*

Et



Et aliis; nescit quantum luminis tribuerit *Picturae Carolus Maratta* Romanus, *Lucas Jordanus* noster, qui inter innumera dexteræ suæ miracula, ita proprios cujusque pingendi modos, moresque, taliter imitatur, ut indecisum remaneat, sua, vel aliena sint opera, admirabilis Penniculi celeritate, colorum pulchritudine, harmonica unionis amœnitate, ut diceret, nec similem habuisse, nec habere sequentem; nisi quod *Parthenope* feliciū ingeniorum semper fecunda Mater,atrix, *Paulum de Matthæis*, & *Franciscum Solimena* providè peperisset; Cœterum in Mathematicâ sat erit, si unum referamus *Cartesium*, cui debentur omnes Antiquorum laudes; in Geographiâ, & Cosmographiâ, præter alios *Columbum*; in Astronomiâ, *Galileum*; in Architecturâ, atque Sculpturâ præfatum *Michaelem Angelum Bonarota*; in Poësi, *Torquatū Tassum*, *Ludovicum Ariostum*, *Comitem Fulvium Testi*, & alios; in Inscitiâ, ac temeritate *Martinum nostrum*.

#### BRUNUS.

Notissimum est apud omnes rerum omnium incrementum, ut vel puerulis pareat; hinc non egent Apologiâ; Medicina præsertim, quæ præ cæteris amplissima facta est hoc nostro sæculo, quâ theoricæ illustratione quâ praxis ampliatio, uberrimâ rationum & feracissimâ remediorum inventionem; Nec mirum si hucusque nemo glaciem frangere fuerat ausus. Magna enim ratio erat antiquis habita, & ab his, vel per unguem discedere sacrilegum putabatur; imo & periculosum; formidabat enim quisque perniciosissima infortunia excellentissimi *Andrea Vessaly*, & *Andrea de Laurentiis*, injustasque pœnas malignè inflictas à supremis Magistratibus ad *Galenicorum* instantiam; At vivat in Deo veritas, his spretis, ad hanc perfectionem redegerunt Heroës præclarissimi, quos non latebat, quod habet *Lactantius Firmianus* in 31 lib. *divinarum quaest.* cap. 8. ibi: *Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, quæ si omnibus aequaliter datur occupari ab antecedentibus non potest; Quare cum sapere, id est veritatem querere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo iudicio inventa Majorum probant, & ab aliis pecudum modo ducuntur; sed*  
*haec*



*hoc eos fallit, quod Majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur.*

PHILALETHES.

Et hoc à Seneca adnotatum legimus clarissimè in *quest. natural. cap. 25.* hisce verbis : *Veniet tempus, quo ista quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia; veniet tempus quo posterì nostri, tam apertè nos nescivisse mirentur.*

PHILARETUS.

Duabus hisce postremis sententiis innixi, scite, quiescamus, tempus enim est :

*Jam nox humida Cælo  
Precipitat, suadentque cadentia sydera finem.*

Valete.







VIRIS

*Celeberrimis, & Experientissimis*PHILOSOPHIÆ, AC MEDICINÆ  
PROFESSORIBUS

PHILIPPO VICEDOMINI

ET

JOSEPHO PIACENZA

Amicis meis Colendissimis.

S. P. D.

JOAN. ANDREAS LIZZANO.



*N* tandem Amici ornatissimi, & suavissimi  
vel ad Naæræ, & Charmionis invidiam uno  
congesta Dialogo, quæ pluries vobiscum disservi  
de Phlebotomiâ, Catharticis, Vessicantibus, Ene-  
matibus, & Fontanellis eorumque pessimo abusu  
apud aliquos, quos Rheda vectos, quasi quod  
primas tulissent, ineptè Medicos, inscitè Philosophos (cum sint  
novissimi, imò ex sapientiæ Regno penitus exteri) profiteri non  
pudet. Scribendi occasionem vos ipsi scitis, scitisque deliberationem  
meam, Dialogum ipsum faciendi vestrum, dicendo vobis, ut

X

nempe



nempè Amoris mei erga vos à primâ iuventute, primisque studiis sincerè semper vicissim exculti Pignus, & observantia monumentum haberetis Porro haud me latebat vestrum esse, si meus erat ex curipidis in Andromida documento.

Nam verè amicis proprium prorsus nihil

Sed inter ipsos cuncta sunt communia.

At verò quoniam Multas amicitias silentium diremit; Ne hoc nobis egrotantium interpellationibus dissociatis, contingeret, hunc habeatis volo, ut hujuscemodi necessitudinem alamus nostram. Vestra nunc interest, clementis animi vestri benignitatem respiciendo, mihi nisi in omnibus placuero, vel in crimina lapso amicas porrigere manus adiutrices, ac in aliorum lividos dentes omphacium adhibere. Interim amici jucundissimi, prae oculis illud Seneca retineatis opto. Amicitia, quæ desinere potuit nunquam vera fuit. Valete.







# DIALOGUS QUARTUS.

INTERLOCUTORES

PHILARETUS, PHILALETHES,  
BRUNUS.

PHILARETUS.

**J**am Fidi Achates, jam inquam utar *Horatij* gaudio libro primo *Car.*  
*Ode IV.*

*Solvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni,  
Trahuntque siccæ machinæ Carinas,  
Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut Arator igni,  
Nec prata canis albicant pruinis.*

Placidæ spirant Auræ, vernant Aves, virescunt tenellis frondibus  
Arbores, novis herbarum vestibus terra gestit: Dum omnia vernant  
sepositis tetræ occupationibus, camus eia, quo nos alliciunt Arva  
ridentia, flores olentes, Dulcisoni Rivuli, Canoræ Luscinia.

PHILALETHES.

Libenter assentiam, cum tamen advesperascit: Delectentur ur-  
bibus, nec ab his discedant per latum unguem, qui disciplinæ, quam  
& nos profitemur vernaliter devincti sunt: *Negotiatores* illi, qui huc  
illuc discurrent, longo stipati Tyronum ordine. Proh misellos? Nec  
vident quantum ipsis detrimenti inferatur? *More pecudum* eunt, non  
quo eundum est, sed quo itur: Pro bonæ instructionis lacte, vene-  
num ebibunt?

BRUNUS.

Oh quot ego cognosco ex his, qui cum limpida aquæ *Fontana*,  
ac profundi purique *Putei*, claros possint, ac salubres latices degu-  
stare, putridas è paludibus aquas epotant usque ad hydropem?



cum dulcibus *Persicis* vesci possint, quercinīs glandibus impinguantur? cum eximij *Phlebotomi* ictibus inscitia sanguinem ē venis possint expellere, æruginosa sibi quæritant instrumenta? cum possint degere *Neapoli*, Urbe celeberrimā, ac *Literatorum* cultrice, eruditissimā, in *Antris*, ac *Tuguriis* brutaliter immorantur?

PHILARETUS.

Diebus hisce vernalibus discedant stercorarij, exulent sanguinarij, quippe qui hisce diebus, (in quibus medendi mos penē communiter approbatur) viventes excruciant, hos ad *Pharmaca*, illos ad venarum sectionis supplicium barbarē condemnando. Proh depravatam consuetudinem, execrandum abusum? Proh abominandam Pestem *Reipublicæ* totis viribus evellendam? Se jactant *Señtatores Hippocratis*, & *Hippocratis Aphorismos*, aut non intelligunt, aut ad exitium exercent: *Extremis morbis extrema remedia* (scripsit *Hippocrates*, & quidem ad salutem) & isti, *Pseudoseñtatores Hippocratis extrema remedia* propinant benē valentibus ad perniciem. Et reperitur, qui talibus infantiis præbeat amicas aures, qui fidem præstet? Sed quorsum, & quousque hoc alloquio? Dum cominus tela vibranda sunt, illa eminus ostentamus. Postremum jam tempus est difflandi ultima deliramenta à *Martino* edita in *Musitanum*, & *Recentiores*.

PHILALETHES.

Institutus propterea est congressus hic noster: Refellatur *Trico* iste quam citius potest, ut & quam citius exequi possimus, quod de solatio capeffendo deliberavimus.

BRUNUS.

Tua interest *Philarete*, illa nobis referre, & ni gentium rumore decipiar, de *Vene sectione*, & *Galenistarum*, in *Catharticis* abusi, fautor insolentissimus.

*Projicit ampullas, & sesquipedalia verba.*

PHILARETUS.

Immo inflatus arrogantia dubito, quin crepet medius: Indissolubiles credit impugnationes suas, & rectissima sua judicia, quæ circa hæc duo remedia, (per ipsum credita præstantissima) ineptissime profert. In eo, quod attinet ad *Phlebotomiam*, juro caput vestrum carissimum, *Terstites* noster, veluti à *Tripode* loqui credit adversus *Musitanum*, & *Recentiores*, suam quadrupedem ineptiam non advertendo.



tendo. *Musitanus* reprehendit *Tenebrio* iste, quod in *Capite de Anginâ*, admissâ Phlebotomiâ in eo casu, quo æger quasi suffocari videatur à quadam Plerhorâ, præsentaneum arbitrans hoc tale remedium, auxilium dicit esse hisce verbis : *Sic copia, seu quantitate peccat sanguis, libenter phlebotomiam concedimus, præcipue ubi necessitas urget, malum inducias non dat, & ex magno sanguinis affluxu suffocationis periculum impendet; quotiescumque verò sanguinem minuere expedit, nec interea à precipitantia cogimur, possumus multo tutius atque commodius rem per inediam absolvere, nam inedia est continua phlebotomia. Negat deinde revulsoriam illam, & derivatoriam vanitatem hoc modo: revulsio, & derivatio ab Harveiano sanguinis motu evertitur, deridens ulterius ventilationis commentum.*

Propter hæc tria reprobata remedia *Musitanus Martini* odium adeptus est Ecastor nec per umbram est accusandus: Quis enim non deridebit hæc in Galenicorum explicatione post detectum sanguinis circulum? Si tamen aliquis, est, ornandus est infula derisoria, & fustibus cædendus: audiat *Martinus* illud clarissimi *Waldschmid*, relati à *Michaële Aloysio Sinapio* in *inst. med. in eod. Lib. 5.* nempe *venarum*, ait ille, *delectum rejicimus anile quoddam commentum. Non datur vena cephalica, pulmonalis, cardiaca. Deinde vena sanguinem è corde non effert, sed cordi inferunt. Quod si practicum aliter loqui audias; scias, hoc propter panem quotidianum fieri, & quod Mundus vult decipi. Et ipse Sinapius ait. Revulsio, & derivatio, quæ per vena sectionem, ejusque vicarias cucurbitulas, aut hirundines fit, videntur esse mera imperitorum verba, & nullo niti fundamento.*

Tantis Viris dignum affatum? Hoc enim in dies experimur Magno Artis Medicæ dedecore, ac decremento, inquam plurimis Professoribus, qui cum aliud sentiant, indigno, & succido quæstus lucro, inducuntur ad faciendum aliud ab eo, quod verè sentiunt.

Objectiones verò sunt veluti latratus canum ad Lunam, tanto magis quod qualescumque illæ sint, falso hærent supposito, nempe denegatâ *Sanguinis reali Circulatione.*

#### PHILALETHES.

Maximoperè perturbor, quod dubitatur de re tam clarâ, ac tot sententiis decisâ ad quam percipiendum opere pretium, non est habere Authores illos, & legere, pro quorum emptione ma-



gnum dispendium faciendum est, quales sunt *Helmontius*, *Ettmullerus*, *Jessenius*, & *Leonardus à Capua* noster; cum adsint etiam *Authores* præclarissimi, qui uti breviter, ita ingeniosè, scientificè, & evidenter hâc de re differunt, in libellis parvæ molis, & magni ponderis, non tamen magni impensæ. Ab his facilè in rectum tramitem anceps quisque reduci potest, quales sunt, qui in præsentiarum, præ aliis memoria insunt *Lucas Antonius Portio* in suo *Erasistrato* Anonymi liber *Hetrusco* idiomate inscriptus *Al Galenista confuso* *Joan. Baptista Vulpinus* in *Hæmophobia triumpho*, & *Zypeus* in *fundamentis Medicina*, qui hisce rationibus *revulsionis*, & *derivationis* cogitatum evertit. Sed salvâ illorum (nempè *Veterum*) pace, dico duas priores (*Revulsoriam* scilicet, ac *Derivatoriam*) species non consistere cum indefinente sanguinis circulatione; nam quantum ad *Revulsoriam*, intelligi debet de sanguine jam fluente, vel fluxuro: Si de fluente quomodo est possibile, ut qui jam v. g. *Aortam* ascendentem intravit per sectionem alicujus venæ in pede revocetur ad *Aortam* descendentem? Aut si jam sit in arteriis carotidibus, quomodo venæ sectione in brachio ex illis revocabitur in arteriam axillarem? Sanguis enim ab altero proximè sequente continuo protruditur, neque dantur duo motus contrarij sanguinis in eodem vase, quod tamen fieri deberet, si sanguis ita à fluxu suo jam ad certam partem instituto, ad contrarium revocaretur. Si verò intelligitur de fluxuro, is improprie revelli dicitur, nam *Revulsio* motum supponit, quem sanguis fluxurus nec dum habet. Dices si sit pars aliqua sanguinis contenti in sinistro cordis ventriculo, quæ in expulsionem suâ *Aortam* ascendentem intratura esset; ea poterit venæ sectione in pede ad *Aortam* descendentem revelli; inanitam enim venam pedis, sanguis ex arteriâ crurali, & ulterius ex *Aortâ* descendente ob vacuitatem majorem, liberius subibit, & sic etiam liberius sanguis intrabit in *Aortam* descendentem, non adeò plenam propè cor, quam in ascendentem magis plenam propè cor; ideoque dum jam ex corde expellitur, qui alius ascendentem intrasset, jam descendentem intrabit, ac ita venæ sectio in pede erit re verâ illius sanguinis partis *revulsoria*. Resp. Quis scit, an pars illa sanguinis, quam jam in dicto casu venæ sectione in pede ad *Aortam* descendentem revelli dicis, sine illâ venæ sectione intrasset *Aortam* ascendentem? Certè qualibet gutta sanguinis in sinistro cordis ventriculo existens, de se est indifferens, ut sursum, vel deorsum moveatur, pendetque hoc maximè à divisione illâ, quam sanguis



ex corde expulsus patitur à septo isto, seu pariete Aortam ascendentem à descendente separante, & non nihil etiam à sanguinis levitate, & gravitate. Aut si demus venæ sectionem in pede prætenso modo revelli ab Aortâ ascendente ad descendentem, quid boni faciet ista revulsio? Quamdiu durabit? Pauco sanè tempore arteria cruralis, & Aorta descendens, iterum proportionatè, cum aliis replebuntur; & sic venæ sectionis, in quantum revulsoria, nullus, vel minimus saltem usus erit. Pariformiter dicendum est de venæ sectione derivatoriâ, quâ sanguis ad partem aliquam fluxurus ad vicinam retrahi putatur, quamvis etiam leviter illi esset impactus.

Unicam ego admitto, noscoque venæ sectionem, & ea est evacuatoria, ac sub tali consideratione præstat omne solitum ipsi attribui.

#### PHILARETUS.

Quamquam sagacissimo Van-Helmont non innotuisset (quia tunc temporis nondum erat inventa) sanguinis circulatio, tanta fuit sui acutissimi ingenij vis, & eo pervenit ut Doctrinam hanc in Tract. Pleura Furens conscripserit: *Quam circumspectæ sunt scholæ in sermocinabilibus, & artificialibus? Quæ in naturâ nil, nisi ludicra sunt? quoniam etiam si venam cubiti usque in cavam totum depleat cruorem, & hac consecutivè è venâ Azygos cruorem extrahat: Scire tamen deberent Scholæ statim post, totum iterum cruorem equaliter in venas restitui: adeò licet vena cubiti tota posset evacuari (quod nunquam) tamen mox iterum totus cruor æquaretur per totum venarum contextum. Undè manifestum sit, vanas esse revulsiones, & derivationis nanias quippe quibus concessis, adhuc nonnisi pro parvulâ morâ inservirent intentioni. Quæso ergo medentes considerent in Pleuritide Phlebotomiam non esse usui propter revulsionem, & derivationem; Sed propter meram sanguinis, viriumque extractionem, & diminutionem.*

At referamus, quæ habet Hettmullerus in cap. 4. de Plethora diminutione §. IV. ibi. *Quod verò quidam in febribus ob id secant venam, ut refrigerent absonum est; cum calor tum excedens ex effervescentiâ sanguinis sit, quam sanguinis tantilla detractio non temperabit, nisi velis, more veterum, ad animi usque imminens deliquium venam secare, quod illi terminum sufficientis evacuationis tunc statuebant; cujus exemplum vidi in Amato Lusitano, cent. 3. cura 31. Sicque egros tuos facillimè curares, quia occideres.*



Et in §. v. hæc habet : Cor est fons, ex hoc scaturit sanguis, & universum postmodum corpus ab eo pervagatur : Movetur indeterminate per arterias ad partes, per venas verò ad cor. Unde nunquam movebitur copiosius, aut impetuosius ad partem unam, quàm ad alteram, neque pro correctione talis motus vena sectio ulla sub nomine revulsionis, aut derivationis, institui potest; sed tumet pars à sanguine restagnante, non irruente, h. e. ex ejus legitimo motu impedito per porulos, vel partium, vel vasorum capillarium, sanguis necessario coacervatur in parte, indeque pars tumet. Quocumque ergo in loco evacues sanguinem, nunquam corriges istum tumorem, nisi impedimentum illud, quod sanguini, tamquam materia liquida fluenti, oppositum est, removeas. Et posito irruere sanguinem in partem ex quacumque causâ, nisi hanc causam removeas, non corriges eum motum, licet vel centum venas in alio loco pertundas, & si vel maxime irruat, non potest copiosius irruere, quam vasa permittunt, quorum alveis coërcetur; Sin ergo apta sint omnia vasa, viæque patula sanè eo motu, quo irruet in partem, eo etiam ex eo affluet, ob immutabilem naturalis circulationis legem. Quid ergo tum proderunt revulsoria, & derivatoria vena sectiones? Et licet aliquo modo mediatorem Pacis agens, accomodare conetur venustis rationibus, & Antiquorum salvare hypotheses; denique prorumpit: Quicquid ergo adjumenti adferunt revulsiones omnes, & derivationes, est tantum accidentalium, & cum sanguinis evacuatione, idest virium diminutione conjunctum. Qui ergo convenienti sudorifero precipitante sanguinem attenuare, resolvere, & fluxilem reddere novit, vel qui appropriato topico irritationem partis, & hinc fibrarum incrispaturam sedare novit, is naturalem sanguini restituit circulum, omnem stagnationem tollit, omnibus istis vena sectionibus superfedere, ac tales affectus citò, & jucundè curare potest; quod quotidiana in Pleuritide abundè testatur experientia. Et alibi hæc habet in sanguinis turgescencia febrili non imitanda effranis Gallorum, & Italorum licentia copiosissime, & frequentissime sanguinem vena sectione detrahendo: sed effervescentiam compescentibus.

#### B R U N U S.

Luci tenebras, tenebris lucem, tribuere velle videtur, qui opinionem hanc ita à gravissimis Authoribus stabilitam amplecti renuit; Hoc namque manifestè (verba sunt Cartesii in Tract. de format. fœtus de sanguinis circulatione loquentis) probatum jam fuit, ut in dubium revocari



revocari amplius nequeat : nisi ab iis , qui præjudiciis suis usque adeo sunt addicti , & omnia ad controversiam trahere , tam assueti sunt , ut veras , & certas rationes à falsis , & tantum probabilibus nesciant distinguere. At dum ista recto examine lustramus audito venerato nomine *Luca Antonij Portij* , suggestit ( nimalè ) *Memoria Sardum* quendam ausum esse usque nonnullas edere impugnationes in illius *Erasistratum* : scitis ne ?

PHILARETUS.

Scio equidem , sed non crederes , quam sedulam dedi operam librum hunc perquirendo : Habui tandem , sed quid ? *Sardum opus* inveni , Authore *D. Petro Aquenza* , & *Mossa* , *Sardo Tempniense* ; quem quidem in Medicinâ . cum *Marco Tullio* dicere possumus *quemdam Sardum hominem esse* , patriâ suâ pestilentiore , dignum , cui *Sardonio Risu* plaudatur . *Tempniensem* se asserit veram Patriam negans , nempe *Asinariam* , ubi natus , *Asinaria* eruditione partus , & educatus . Cum tamen instituti nostri non sit , *Portium* hic vindicare , aptiori loco , & tempore reservamus .

Hinc inhærendo cæptis , dico quod si *Martinus* noster enarratis renuit fidem præstare : Non esse nempe mittendum sanguinem , eo modo , quo ipse sibi suadet incautè , & secum incautissimè alij *imi Subsellij Medici* , à quibus Medicina non est adhuc à limine salutata ; saltem denegare fidem non poterit *Prospero Martiano* , *Hippocraticæ Doctrinæ Fidelissimo Interpreti* , ac maximâ eruditione conspicuo : Hic *variis in locis* de *Phlebotomiâ* loquens , ita præcipuè in pag. 471. Medicos apertè redarguit : *Et hæc adnotare vellem Recentiores Medicos ad secandam venam adeo audaces , considerareque quoties contra præsentem coacæ in ægrotantium perniciem eos errare contingat ; dum non in hoc morbo tantum , sed in quolibet alio , dummodo febris adsit , statim ad venæ sectionem deveniunt ; quod non solum Hippocratis doctrinæ non convenit , sed ei omnino adversatur ; qui venæ sectionem propter febrem adeo timuit , ut sæpè ejus gratiâ à venæ sectione abstinendum esse existimavit , quemadmodum non ex præsentî coacæ tantummodo constat , sed ex aliis multis locis , illustris de hæc re sententia .*

Sed quid ? *Martinus* , istam flocci pendens auream admonitionem , clausis ( ut dici solet ) oculis , ut unam ex enarratis differentiis celebret , infatiabilis semper , & vorax humani sanguinis hostis , hunc



detrahi præcipit, summo ægrotantium detrimento nil curans, sit ne quantus, vel qualis. In hoc ultimo sensu *Musitanus*, & *Recentiores* plerique contra *Galenum*, & *Cacogalenicos* exclamant, & meritò; aliud enim sentire, est contra ipsum *Hippocratem* quemadmodum idem *Martinus* in pag. 14. de natur. hominis loquens, edocet adversus medentes sanguinem mitti in cachochymiâ consulentes, in quâ sanguis cum sit variis hæterogeniis succis, sæculentis particulis confuscatus, qualitate demum accusandus, minimè detrahendus est, & hæc sunt ejus verba: *Ex hoc loco manifestatur in quanto errore versentur illi, qui in quolibet morbo sanguinem mittunt, etiam si à Cachochymiâ dependeat; eâ delusi opinione, una cum sanguine humorem peccantem educi, quotiescumque in venis existunt, quia si in jugulatis, & iis, quibus sanguis abundanter extrahitur, primum rubentissimus, & qui optimus est, profluit, deinde pituitosior, & biliosior; Sectâ venâ, per quam moderata sit evacuatio, istantummodo evacuabitur, qui optimus erit in corpore, remanebitque vitiosus, unde Cachochymia augebitur; quod quidem attendentes Medici antiquiores, qui in secandâ venâ præcepta artis constituere in morbis à Cachochymiâ dependentibus à sanguinis missione abstinendum censuerunt. At cum aliquando Phlebotomia adjuvari observantur ægri; hoc non evenit propter rationem à Galenicis insulsè assignatam, quando nempe sanguis, qua sanguis educitur, vel derivatur, vel revellitur, vel ventilatur; sed ob alias, quas forsan Martinum datâ aliquâ occasione, docebimus.*

#### PHILALETHES.

*Amittes oleum, & operam si vis docere Martinum, quippe qui docendum cures caput dementis cucurbitæ: Ægrotabat elapsis annis miserabilis quidam cocolatae celebris opifex Lucas N. N. maciè extremâ consumptus, adeò ut ejus pelli inharerent ossa, ferinâ tussi commotus purulentâ Anachiatarsi afflictus, ac pænitus nauseabundus, diligenti curæ commissus nunquam satis commendati Nicolai Susanna, & amicissimi Christophori Castaldi, & dum ambo Balsamicis resumptivis, absorbentibus validioribus insistebant, ad protrahendam potius, quam sperandam ægri vitam, nescio quo fato accersitur Vespillo noster, qui aspecto ægrotanti dixit Resume animum, ne timeas: De brevi te pristina saluti restituam: & illico (oh hominem Reipublicæ calamitosum, atque funestum.) Venæ sectionem instituit (ò factum male)*



male) exanguè sanguinem detrahit, temerariè proferens : *Hic vellem Susanna, & Castaldum, ut mirabilem Phlebotomia effectum admirari possent. At quid inde factum? Æger nondum transactâ die alterâ, subiit mortem : i nunc Philarete, & doce Martinum.*

B R U N U S.

Hoc solum? luctuosissima mille extant exempla tanti Carnificis, quæ *animus meminisse horret luctuque refugit*; Et quod peius, est de illis, qui gloriantur cum malè fecerint.

P H I L A R E T U S.

Uterius miratur tamen *Martinus* cucubat, & increpat *Musitanum* in Dysenteria sanguinis missionem, damnantem; deinde in pag. 303. legentibus conatur demonstrare contrarium. Desipiens laborat incassum : Quicquid *Phreneticus* asserit, Divino Seni repugnat evidentissimè : ut loquitur *Oraculum Coum in tract. de ratione victus acutorum*. At si sanguinem alicui detrahare conducit, solidum *alvum facere oportet*. Subiungit citatus *Martianus*. *At si sanguinem alicui (ex præfatis) detrahare conducit, solidum alvum facere oportet; Cui præcipuè quantum pareant illi, qui in dysenteria sanguinem mittere audent videant ipsi*; Non nè ridicula *Martini* admiratio? Nonne benè fundatum *Musitani* iudicium?

Sed videamus quantum aberrat à verâ regulâ, quâ utendum in excellenti Pharmacorum Præsidio hic noster *Fabis aberrans*. Nulli nationali methodo addictus hæc ægris propinat ut plutimum; seu verius semper diebus illis, in quibus *Cane pejus, & Angue* fugienda sunt, nullo habito respectu ad morbum, ad humores, ad excrementa, ut cum *Martiano* loquat: Dierum considerationes nil cum ipso; indiscriminatim namque exhibet, nil prævalente *Divini Senis* auctoritate, medicorum omnium observatione; parum sua interesse putans, consistant morbi, vel ne : & dein ad raucedinem usque contra *Musitanum, & Recentiores* vociferat.

Hi à Praxi Pharmaca non disturbant (imposturam enim sapit contrarium asserere), ac depravatissimum exhibendi reprehendunt abusum, & dum *Martinus* contrarium credit miser toto Cœlo decipitur, ac nisi hoc mihi credat, Grammaticam discat prius, ac iterum cum *Musitano* legat *Authores*, vocatos Innovatores, & observabit quantum à veritate aberravit.



At quanquam *Musitanus* in suâ *Trutinâ* pro variis morbis vulgaria Purgantia expellat, attamen multa includit, & approbat, ex illis, quæ à Recentioribus validiora existimantur; Unde non est concludendum quod *Musitanus* universaliter excludit omnia purgantia: Utitur quandoque Emetico in aliquibus indispositionibus, ad quas vincendas *Galenici* nonnulla exhibent, quæ pigra, debilia, & nauseabunda considerantur.

*Martinus* verò eò Temeritatis pervenit, ut etiam sanctificandi facultatem sibi arrogaverit, Syrupis, & Syruporum Authoribus (suppressis propriis nominibus) sanctorum nomine imponens; Syrupum scilicet *Domini Augustini* appellando Syrupum *Divi Augustini*; & sic Syrupum *Cicoriæ Nicolai* nuncupando Syrupum *Divi Nicolai*, & pro Syrupo rosato solutivo, Syrupum *Sanctæ Rosæ* dicendo: Eo temeritatis pervenit, ut ridiculè, insulsè, dementer, exprobare audeat immortalia *Recentiorum* inventa, & asserere fugienda esse, & abominanda tanquam venena, sibi tamen ipsi contrarius, dum in cap. de vertigine p. 115. probat, quæ reprobaverat; Vomitus (dicit enim) provocetur sale albo vitrioli, vel aceto destillato, vel celeberrimo vino infuso per 24. horas vase *Antimonij*: Hic decorat *Antimonium* attributo celeberrimi, & alibi dixerat mineralia venenata Præsidia.

Parcite ergo admirationi de tot *Martini* erroribus, tot ineptiis; Miremini vellem (ut par est) de *Martini* temeritate, qui de eâ professione loquitur, cujus terminos non intelligit: Commendat ille in cit. pagina 115. tanquam remedium præstantissimum ad tollendam vertiginem (quid creditis) Julep. de corticibus Citri, roboratum essentiâ Citri, tincturâ *Alchermes*, cum Julep. *Cinnamomi*, &c. Et hæc nominat Amuletum.

#### PHILALETHES.

O *Veruccino* homine dignum effatum? Amuletum ergo est Julep. de corticibus Citri? Sic ille collo suspendatur, & Literam longam faciat, sicut collo suspenduntur, non ingeruntur stomacho ea, quæ Amuleti nomine nuncupantur.

#### BRUNUS.

Quæso *Philarete*, quænam tua de purgantibus, & Phlebotomiâ sincera, & genuina sententia inter tot jurgia?

PHILA-



## PHILARETUS.

Rem difficilem postulasti, *Brune*, idem quod cum *Philalethe* multoties differuimus; At desiderio tuo obtemperans adæquatè respondere arbitror, si de hac re tibi referam Clarissimi *Io. Alphonsi Borelli* Judicium in *Propos. CCXXXIII.* cujus titulus *quomodo Febris omnino extinguatur, cureturque, ut animal ad naturalem statum restituatur*: Conviciis nonnulli *Galenum* onerant, sed malè, quod præcipuè illum scripserit universalem *Aphorismum*, *Saluberrimum* nempe *in omnibus febribus sanguinem mittere*: malè inquam; ad quid enim accusandus ille sedulus in medicinâ scriptor, cum potius detestandi, & damnandi sint ejus protervi, indocti, inexperti Sectarij? Ille tot, talesque enumerat conditiones, gravissima perpendit accidentia, ob quæ rectè examinata, perquam rarò ad hoc exequendum devenire quisque deberet; Nonnè id damnat in pueris? Nonnè damnat in senibus? Et quot sunt *Caco-Galenici*, qui Præceptoris jussus obliti, pueris, & senibus sanguinem educi jubent? In cruditatibus, in ventriculi affectionibus, & sexcentis aliis casibus, quos pænes *Galenum* ipsum, & *Portium* in *Galenî* Apologiâ videant, quot exquiruntur Indicantia, Coindicantia, Tolerantia, & quot considerata sunt contraindicantia, & dein celebrent, extollant, præscribant tale remedium: Galenicos se profitentur, cum *Galenî* operum, nec titulum salutarint, victus ratio nonnè eadem illa est, quâ usus ille fuit? Pergant ad malam crucem *Blaterones* isti *Blaces* homines, *Veterinarij* potius, quam Medici. Sed redeamus ad *Borellum*; Hic in præfata propositione (patiamini, vobis memorem nonnullas perutiles considerationes, ubi diversimodè curandarum febrium explanatis, & adductis modis) ita inquit de Phlebotomiâ. *Postremo loco aliquid de usu Phlebotomiæ dicendum videtur, quam aliqui summopere laudant; aliqui, ut perniciosam vituperant; Si enim tam proficua, & laudabilis esset, proculdubio in majori proportionem agri convalescerent in Galliâ, & Hispaniâ, ubi ab omnibus febricitantibus sanguis educitur, quàm in Italiâ, & in aliis locis, ubi nunquam sanguis emittitur; è contra, si tam noxia esset, in majori proportionem agri in Hispaniâ, & Galliâ interiret, quàm in Italiâ; Cum igitur neutrum verum sit, fatendum est, neque noxam, neque juvamen, notatu dignum, asserre; Et paulo inferius hac; Negari tamen non potest aliquando Phlebotomiam juvare, aliquando verò noxam asserre: In aliquibus verò epidemiis omnes*



agri, in quibus sanguis eductus est, intereunt; E contra in aliis constitutionibus Phlebotomia proficua, & salutare sunt; Quare dari possunt casus, in quibus noceant, & in quibus proficua sint; Si hoc enim verum non esset, non semper, vel non ut plurimum verificaretur.

Una tamen præ cæteris multis, quas adducit, rationibus, ex quibus evincitur, utilem esse posse Phlebotomiam hîc adducta audienda vobis est, utpotè quæ in alteratione, atque in Motûs inversione consistit; Receptissima quidem apud omnes Opinio; Aliquando, hæc ille, Phlebotomia utilis esse potest, quia alterato consueto sanguinis motu, contingit, ut in Cerebrum, & nervos novus motus introducatur; Et ideo fermentativa, & morbosa agitatio perturbari, ac in melius commutari potest; Hoc quidem confirmari potest ex eo, quod multoties hæmorrhagia sistitur per educationem sanguinis à sectâ venâ; Reliqua prætereo.

PHILAETHES.

Clarissimè quidem, scitè de hâc re, quam argutè expressisse videtur Hispanus vates *Lopes de Vega* hisce carminibus:

*Tan presto dà salud, como Maltrata;  
Es la Muger al fin, como sangria  
Que à vezes dà salud, y à vezes mata.*

At de Purgantibus?

PHILARETUS.

Libenter: Hæc habet. Non secus medicamenta purgantia per alvum, & per vomitum possunt aliquando juvare; aliquando nocere; Attamen ex vi rationum vulgaris scholæ certè nunquam juvabunt; quia humores copiosi, & pravi non sunt causa febrium, sed potius exiguum fermentum, in nervis è glandulis communicatum; Hoc autem non video, quomodo catharticis remediis excerni possit; quia putare quod Pharmacum vi quâdam electivâ, & attractivâ veluti magneticâ, ex confusâ massâ humorum secernat, colligat, & apportet succos aliquos pravos, relictis aliis omnibus salutaribus, videtur somnio simile.

Pergit deinde ad rationes, quibus commodè explicatur modus, quo juvare possint, quod nostra non interest hîc commemorare; Et hæc à tanto viro prolata, sunt quæ sentio de hisce præfidiis; Ac firmiter monitum hoc, ab eodem traditum reservo, & per quam libenti animo nobis communicatum volo; Verum remedia, quæ ab arte adhiberi solent, valdè incerta, & ambigua sunt, ut peritiores, & doctiores  
Medici



*Medici sincere fatentur; Et licet eventus aliquando precipuorum medicamentorum comprobare videatur, tamen casuale, & fallacissimum est, quia ut plurimum febres sunt salutare, in quibus siue Medicus bene, & secundum artem, siue male, & perversè, siue nil omnino operetur nihilominus agri perfectè convalescunt. Ergo in hoc casu, cum operationes, & medela diversæ, & inter se contrariæ, æque juvamen afferre videantur; quomodo fundamentis, tantopere fallacibus, & vacillantibus inniti poterimus? Econtra aliquando febres sunt pravae, ut qualibet medicamenta adhibita, aut non juvant, aut non nocent, ex quibus deducitur tutius esse, sine urgente necessitate ab omni medicamento artificiali abstinere.*

Scepticum aliquo modo redolet sermo hic tanti viri, hinc nè tali notâ deturpetur audiendus est in hac alterâ eleganti, & candidâ periodo hæc scribens; *Non is tamen sum, ut omnino Artem Medicam, ut inutilem, aut noxiam damnem, & proscribere velim; Scio in tantâ ambiguitate (dummodo præjudicia removeantur), bene posse diuturnâ, & sagaci observatione, quamplurima medicamenta certè comprobari, ita ut semper, aut frequentius juvent; Et hoc experientiâ quotidianâ patet; His planè prudenter, & debitâ cautione uti poterimus.*

#### B R U N U S.

Nil quidem restat aliud pro hisce duobus tam decantatis auxiliis Medicis, quibus rectè trutinatis, ac abundè *Musitano, & Recentioribus* vindicatis ad aliud progrediamur, si quod aliud est egregium scriptoris nostri, nugamentum.

#### P H I L A R E T U S.

Præter hæc, aliæque innumera absurda, *Martinus* in pag. 180. admittere nititur nutritivos clysteres contra *Musitani* sententiam, atque ut solet in eundem strepit, & crocit cum aliquibus recentioribus probans: Nostrum verò cum sit *Musitanum* tueri adversus *Martinianas calumnias*, ne pigeat audire in celeberrimo *Ettmullero* clarissimam, & validis rationibus suffultam Apologiam. Hic in *comm. ad Schröderum, & Morell. method. pag. mihi 150.* hæc habet: *Questio est, an Clysteres etiam confortent, & nutriant? Caterum res est ridicula, & parum subsidij ex illis expectandum, & promittendum; Cum enim nihil possit nutrire, nisi quod fuit subactum in stomacho, & à quo heterogenea, scilicet scybala per precipitationem in duodeno, ex admisto succo Pancreatico, & Bilioso fuerunt separata; item cum nihil nutriat, quod*

*non*



non tinctum est sulphure Bilis rubineo; facile patet, quod tales clysteres, cum non ascendant ultra colon non possint nutrire, multo minus confortare; Sed ceu inania, & ridicula figmenta anilia, sint rejiciendi: Reliqua vide in *Helmont. tract. de febribus*, qui est infestissimus clysterium hostis: item videndus *Hoffmannus in method. medendi*; & alibi varios Clysterum usus enarrans ait: Interim tamen nullatenus nos nutrire possunt.

At de *Helmontio* facta mentione circa rem hanc, injuriosi essemus tanto Viro in Medicâ Rep. tam benemerito. Si quæ ipse habet in cap. 7. de febribus prætermitteremus. Præterquam quod *Herculeo* defensore *Musitanum* orbaremus: En ut apertè, ac evidentissimis rationibus hoc idem evertit ante ferè omnes: Est ceterum Clysteri ultimus scopus, quod jussula carniū liquatarum spe alendi injiciant, quod profectò intoleranda stupiditatis est argumentum; Nam injecti liquores primum se miscent stercorei ibidem reperto, deinde infunditur partibus, quibus proprium est cuncta in sterco mutare, & tercio constat per experientiam quod ejusmodi jussula, si binis horis ab inde rejiciantur, oleant non solum sterco, sed quodammodo cadaver. Etenim cum non eatur ad secundum, aut tertium, nisi per primum, non possit autem è cibis, in stomacho indigestis, & in verum, & laudabilem Chylum non commutatis, fieri cruor ullatenus; sequitur etiam, quod injecta jussula cadaverentur; nunquam autem possint in alimentum transire.

Pergit ulterius etiam: Nec arguit quicquam dicens, quod ejusmodi jussula carnem liquatam gerant per modum Chyli; nam actum est nihil, nisi prius susceperint fermentales proprietates primæ digestionis preparatorias ad vitam, alibi extra stomachum, non reperibiles. Quicquid enim indigestum è stomacho labitur, molestum est. Quæ autem infernè injiciuntur, quia nequicquam beneficij primæ digestionis habent, necessario cadaverantur. Miseror sanè *Medicastro*s enemata in ejusmodi abusus detorsisse; nec semel ad præfatas rationes respexisse. In fine demum inquit: Anile ergo inventum Enema nutriens. Vidi nempe in fortioribus jussula cadaveris fœtore horrentia rejecta; in interioribus verò synopes movisse. Hæc ille.

#### PHILAETHES.

Ex relatis satis, superque gaudeo tales hæc in re impugnatores extare; attamen quod est admiratione sanè dignum, illud est, *Galenicos*, nempe *Galen*i authoritati innixos, remedium hoc pro ridiculo, & anili habere, ut est *Aloysius Mundella in Medicinal. Epidis Epist. X.*

qui



qui varias post rationes adductas, & ipsius Galeni locum illustrem, tandem concludit: *Sed cum nutrimentum per sedem impellitur, potius videtur natura ordinem pervertere, quam servare: Id autem absurdum est, nec ab aliquo fide digno Authore, quod viderim approbatum: quare ex his aliqui ova, carnes contusas, & huiusmodi alia per sedem injicere non dubitarunt, ex hac clysterum immissione asserentes, egrotantes non parvum sensisse juvamentum. Caterum multa hodie Medici faciunt, ut egrotis magis placeant, quam prosint.*

#### B R U N U S.

Non tantum igitur *Recentiores*, sed & *Galenicos defensores* habet pro se *Musitanus*? At *Philarete Musitanus fonticulos, & vesicantia* reprobans refutavit; *Martianulus BeBe* noster eadem re lambit quoque, & pro eisdem agit nē Protectorem?

#### P H I L A R E T U S.

Papē *Nugigerulus* noster, *barbāque tenuis sapiens*, tam celebre remedium, sicco nē calamo, siccāvē linguā transire poterat? *Fritinnit* de more ad mortem: *Credens miscellus Musitanum* hoc inconsideratē scripsisse, & absque patentibus rationibus, consideratis à clarissimis *Authoribus* inutile sordidum, fætidumque remedium hoc reprobantibus. O quam profundè decipitur? Jurarem, stulto pejus loquutum. Cum *Recentioribus* *Helmontio* relicto, utpote *Martino* suspectis, unī saltem ex multis animum vellem applicuisset, *Prospero* scilicet *Martiano*; nam à tali Præceptore monitus, ac instructus, nec *Musitanum*, nec alios carperet, tanto sui ipsius apud omnes derisu, tanto cachinno; En ut *Martianus* pag. 120. & 121. philosophatur; *Ut ergo abscessus, qui à morbis liberant, ab iisdem præservent etiam, conditiones requiruntur quas omnes uti necessarias observare vellem recentiores in Medicis præidiis eligendis, quæ præservationis gratiā adhibentur: & potissimum in fontanellis, seu cauteriis vocatis, quibus nunc genus humanum ferè totum infectum est, quandoquidem si alicui ea prodesse contingit abscessus ratione evenire censendum est; Statuit enim Hippocrates, quo morbus aliquis ab alio præservare debeat duas potissimum conditiones requiri; Altera est, ut natura instituto consuetum sit, hunc supervenientem, illum præsentem tollere. Altera conditio est, ut communio, & consortium intercedat inter eos. At verò quis unquam vidit à diuturnā destillatione à capite vexatum, abscessū ad brachium factū, sanatum? ut ad*



*nature imitationem pro illius preservatione ulcus in brachio perpetuò gestari debeat? Nullus certè, nisi fortuito casu quodam; quia si destillatio à cerebri intemperie, sivè imbecillitate contingit, à quâ materiâ destillationis continuò generatur, hac per abscessum auferri non possunt, & si fortè aliquando id contingat, non ad brachium excitatur, sed ad colli glandulas, vel ad capitis superficiem, unde & strumæ oriuntur achores, favique, aliæque hujusmodi per quæ cerebrum expurgatur, ut apparet in pueris, id attestante Hippocrate lib. de morb. sacr. vers. 145. Frequentissimè etiam morbi capitis abscessus faciunt ad aures non ad brachium, tum ob distantiam, tum etiam quia locus sæpè non est capax abscessus, etiamsi quædam adsit communio, venâ cephalicâ mediante, ad quæm cauteria communiter insiguntur. Cum igitur morbi capitis non sanentur per abscessus ad brachium spontè excitatos, minùs sperandum est, per eosdem præcaveri; & ideà Medici, qui in hac parte ulcus in capitis affectibus excitant, Artis præcepta transcendunt; Sed longè magis illi, qui in parte, loco affecto oppositâ; cum nulla communio inter dextrum, & sinistrum intercedat, ut Hippocrati indubitatum est.*

*Ineptum igitur ex prædictis est pseudoremedium hoc ad auxilij, aut præsidij aliquid conferendum: Et ò utinam non esset aptissimum ad inferendum perniciem, & excidium? En ut idem Martianus prosequitur: At verò quid dicam de illis, qui hoc remedium adèò familiare faciunt, ut non sit morbus quantumvis levis, in cujus curatione statim ad hujusmodi cauteria, tanquam ad sacram Anchoram, ut ipsi dicunt, non confugiant, nullâ ratione habitâ, aut ætatis, aut temperamenti, aut sexus? Nam per continuam ulcerum purgationem pueris, & adolescentibus augmentum, & robur corporis subtrahunt, habitu graciles, & exangues, ad maciem perducunt, senibusque vitam reddunt breviorē, & denique mulieribus menstruas purgationes supprimunt; unde, & sterilitates, variæque ex utero mala adducunt: Novi enim plures mulieres, quibus ob cauterij gestationem, menses omninò defecerunt nec id rationi alienum est. Nam si exiguus sanguis, qui continuo in fœtus augmentum procedit, est causa ut utero gerentibus menstrua non fluant, quod Hippocrates lib. de nat. puer. vers. 78. testatur; multò magis sanguis, qui sub formâ puris quotidie per cauterium excernitur, menstruales purgationes tollere potest, cum sæpius quantitate illum excedat, quem puer in utero circa primos menses absomit in alimentum.*



Et pejora videbitis ex subsequenti Martiani eloquio, De illis verò, scilicet mentionem facere nefas est, qui hujusmodi cauteria pro tuendâ valetudine sanis consulunt digni potius, qui à civitate expellantur, quam confutentur; Dum enim sanis corporibus novos ductus pro excrementorum expurgatione constituunt, non solum humano generi officiunt, sed impietatem quandam in summum Architectum committunt tacite illi imponentes, quippe qui in hominis constitutione necessarias expurgationes ignoraverit, aut sufficientes vias accomodare non potuerit.

Et licet ipse Martianus ubi supra admittere videatur aliquando licere medicis pro morborum curatione ulcera perpetua, instar fistulæ, in locis convenientibus excitare; statim salutare consilio monet, verum subnectens, sicuti non omnes fistulae sunt morborum medela, & quæ non sunt hujusmodi, curare omni studio procuramus; nec morbos omnes natura per abscessus sanat, sed difficiles tantummodò & contumaces; ita nec ulcera hæc in quolibet morbo excitanda esse: Imò, quæ per aliquod tempus gestata non conferunt, dimittenda omnino, ut perniciofa. Quæ quidem cum circa usum cauteriorum nostri temporis non observentur, ideo fit ut raro admodum intentum finem miseri agrotantes consequantur, qui sæpè ut ab uno morbo liberentur, duos incurrunt; & plerumque plus incommodi ex remedio percipiunt, quam ex ipso morbo, & quia pus vident singulo die ab ulcere emanare, id noxium quid existimantes, illud quamvis & fædum, & molestum, inutiliter gestant, ex ejus sanatione timentes, ne quid majoris mali ipsis contingat, non considerantes evacuationem illam copiosam sine aliquâ conferentiâ esse sufficiens argumentum, peccantem humorem non evacuari, sed potius amicum, juxta doctrinam Aphorismi, Si talia educantur, qualia oportet, confert, & leviter fertur, sin minus è contra. Notum est enim sanguinem etiam optimum in ulceratâ parte statim in saniem converti. Præterquam quod, data etiam in quibusdam per hujusmodi cauteria partem noxij humoris expurgari, indeque evidentem utilitatem agrotantes percipere, nihilominus gravissimorum morborum sæpè causa fiunt, quia cum excrementa, quæ per naturales consuetasque vias expurgari deberent, horum ulcerum occasione divertantur, viæ à naturâ destinatae, ita obcæcantur, ut earum immemor natura omnino fiat; Quare si contingat aliquando dictorum ulcerum evacuationem suppressi (quod sæpè evenire observantur) eadem excrementa naturalibus viis oblitteratis, obstructisque artificialibus retrocedere necesse



est; unde venosum genus ingressa, humorum massam corrumpant, indeque febres malignæ, acutique morbi, & lethales succedunt, aut saltem si partes interiores fortiores sint circa ipsius cauterij partes, conculcata, inflammationes, suppurationes, gangrenas, aliaque mala producunt, que quotidianâ experientiâ observantur.

PHILALETHES.

Aurea quidem verba, fanissima tanti Authoris judicia profectò memoriâ tenaciter asservanda; nec alios oportet, hoc audito memorare, sed quid de vessicantibus?

PHILARETUS.

More effutit solito, & huic ultimo respondendum: Cœtera vel in Grammaticâ ipsâ menda, vel in Medicinâ, & Philosophiâ inexcusabilia, errata puerilia, frequentes contradictiones, quæ omnia à principio constitueramus deridere. Nobis amicitia conjunctissimus *Joseph Prisco* apertè demonstrat, disertè examinat, ingeniosè dejicit, epistolicâ exercitatione; hinc abstinendum. Ad vessicantia tamen rediens, hortarer *Martinum* non *Helmontio* studere, odiosus enim illi Author est hic propter infinita (salutaria tamen) vulnera, *Galenicis* inflicta: Hic in tractatu de Febris. cap. 7. tit. *Auxilia Medica extimantur*; de vessicatoriis, postquam multa edisserere cepisset, ita prorumpit: *Vessicatoria autem summè semper nocua sunt, & à spiritu Moloch excogitata.*

BRUNUS.

Et cuinam ex aliis Authoribus studendum? Forsan ex *Galenicis* adest, cui dolorifica hæc, & cruciantia auxilia displicent?

PHILARETUS.

Nullus esset si unus esset, unus enim flos non facit Ver, ast multi; hinc crederem, *Martinum* persuasum fore, non tantum à *Musitano* nostro exprobatâ esse, cum ipsissimos *Galenicos* viderit vessicantium implacabiles hostes, inlaticabiles irrisores. Nonnè *Alexander Massaria* celebris *Galenista*, præter quæ in peculiari tractatu de vessicantium abusu scripsit in lib. 7. de febris, ille est, qui ita loquitur. Denique ego is sum, qui contendam, vessicatoria nunquam fore administranda, velimque huic præsidio omnem Authoritatem elevare. Profectò (inferius) ego satis nequeo intelligere, quomodo liceat uti vessicatoriis; Cum igitur vessicatoria ad nullam febris pestilentis indicationem sint accommodata,



modata, immo verò cum importuna motione, & tractatione humorum, naturæ coctionem, quæ perficitur quiete, possint impedire; Addo cum possint, & partes, & totum corpus alioqui æstans, & fervidum adhuc magis inflammare, & calidius reddere, sæpè verò insignes dolores excitare, febrem augere, & fortè alia non spernenda incommoda secum asferre; cum demum liceat variis urgentibus symptomatibus subvenire aliis præsidis, quæ à Galeno, & omnibus probatis Medicis jamdiù tradita sunt, atque omni carent periculo, & contradictione, ego certè nequeo vulgarium Medicorum institutum omni ex parte probare, qui tam frequenter hoc tempore, & sine ullo discrimine tantopere vesicatoriis delectantur. Alia quæ Galeni auctoritate comprobatur, & argumentis non aspernandis confirmatur, legat si possibile est, *Martinus* defensor; ego namque Veneti cujusdam oculati. Medici liberi non tantum Civis, quam Philosophi *Horatii Guarigante* referam pro coronide, rationalem non minus, quam clarissimam de hâc re sententiam, quam protulit hisce verbis. *Qui vesicantium usus cum non solum saluberrimus non sit, sed perniciosus à me, & à multis Italia primatibus Medicis fuerit indicatus, & rationibus efficacissimis, & irrefragabilibus confutatus; Et hæc vesicantia, seu vexantia ita abhorrerunt, ut non solum ipsis nunquam fuerint usi, sed profiteantur, ex his perniciem egrotantibus contingere, eo, quod, & naturam à coctione distrahant, futuros motus, quos forsitan natura moliretur, impediant; dolore suo bis in die miseros egrotos extorqueant, acerbissimeque dilanient, chirurgis medelam sperantibus, dum ab illis tractantur, ut virtutem prosternant, vigilias inducant; Calore adurente, intemperiem febrilem augeant; Omitto ulcera, quæ quandoque sive ob cachexiam, sive ob malam curandi rationem, sæpè immedicabilia, & pessima evadant.*

#### PHILAETHES.

Non dubito quin libera ingenia nobis suffragentur, sed dubito quin *Martinus* ex his ad frugem non redigatur, vel quicumque alius determinatæ sectæ addictus, ut apertè nos docet *Galenus* in 8. Lib. de compositione Medic. local. cap. 1. vers. 1. & sequentibus, ibi *Quod semper dico, etiam nunc proloquor nimirum persuasum me habere quod difficillimum sit, ad veritatem revocare eos, qui sectæ alicujus servitutem se addixerant. Verum qui prudentes sunt, simulque veritatem amant, eos spero custodituros esse ea, quæ veluti judicandi instrumenta, nobis à na-*



*turâ data sunt ad actionum, vitæ cognitionem, experientiam dico, & rationem : Falsæ enim opiniones animum hominum præoccupantes non solum surdos, sed, & cecos faciunt; ita ut videre nequeant, quæ aliis conspicuè appareant.*

Optimè concludendum videtur cum *Galeno* contra *Galenicum*: Paremus nos interim anni tempestate ridenti, ut decrevimus gaudere.

B R U N U S.

Humanitas vestra parcat quæso importunæ curiositati meæ. De *Sardo*, *Philarete*, quid peculiare?

P H I L A E T H E S.

Benè est; mihi quoque eadem sciendi cura nec tempus adhuc solatij capeffendi; quod ergo superest impendamus in audiendis istius inepti *Galenica Scholæ Converritoris* de societate *Martini* nostri fatuis oscitationibus; eo magis, quod hoc deserviet etiam, ut *Martinus* conspiciens, & aliis fieri, quod ipsi factum est, facilius agnoscat in sui odium nos hic minimè convenisse, benè verum, ut veritas elucescat, & sic etiam ipsum facilius in se reversurum spero, cum videat etiam in aliis inanem ineptæ, ac superbæ remeritatis gloriam in opprobrium degenerare.

P H I L A R E T U S.

Nec lepidam scurrilitatem, nec grave scribendi genus in libello tuo, nec quidem *digno digiti crepitu*. Alter hic è *Circulo Scriptor*, indignus pænitus porrigendi non libros tantum (ut vulgo fertur) *Luca Antonio Portio*, sed & *matulam*: Homuncio extriti ingenij blace inutilior, meritum *Portij* nesciens, *Portij Librum* non intelligens ausus est scribere contra *Portium*: Exterus à Latio tam ortu, quam loquendi, & scribendi phrasibus, claudicans pessimè, mille committit lapsus inexcusabiles; mille vulneribus, vel in primis rudimentis concordantiarum, *Priscianum* dilaniat; Undè fit, quod si ejus errores non dico recensere, sed numerare tantum, vellemus, deficeret nobis tempus, & major esset digressio ista, quam totus sermo in *Martinum* institutus. Hinc referam non nullas rationes principaliores ab eodem desumptas, quibus ipse utitur contra *Phlebotomiam* in *Syphilide*, quæ in ipsum ex *Diametro* retorquentur; itaut *Sardus homo* possit dicere cum *Poëtâ*.

Heu



*Heu patior telis vulnera facta meis.  
 Ut que dedit justas Tauri Fabricator Akeni  
 Sic ego do pœnas artibus ipse meis.*

PHILALETHES.

Et si me non lateat minus animum invitare, minusque spiritus irritare, ea quæ auribus, quam ea, quæ oculis percipimus, ut ait *Venusinus*.

*Segnius irritant animum demissa per aures  
 Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus*

Ne tamen temporis premamur angustia sat erit pro nunc *Philarete* aliquas ex ejus positionibus detegere, & impugnare, ut armorum fremitus feriat illius aures, si vero per tempus licuerit cum *Authorem* Palinodiam canere non viderimus pleniori calamo, quæ *demorsos ungues* sapiant responsa dabimus.

BRUNUS.

*Susque, deque* habendus cum *Martino* socio novus hic *Thersites*, ut arbitror, alterum *Achillem* in literaria palæstrâ laceßire sibi licitum putans, cum ex breviter per *Philaretum* generali eloquio deductis facile colligatur, ipsum cedere *Portio* (ut ait *Virgil. Egl. 5.*)

*Lenta Salix quantum pallenti cedit oliva  
 Puniceis humilis quantum Saliunca Rosatis.*

Et *Portium* ipsi præferri

*Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.*

PHILARETUS.

*D. Petrus* igitur *Aguenza* &c. edidit librum suum *Matriti* Typis *Emanuelis Ruiz*, dignus quidem illis encomiis, quibus celebrantur *Authores* chartarum, typis editarum cum titulo *Il Buono d' Antona*, & aliarum cum inscriptione *Bertoldo, & Bertoldino*: Nunc, relinquendo cuncta aptiori tempori, ut diximus, ea tantum in *Trutinâ* ponenda decrevi; quæ *D. Petrus* habet in *quesito primo*, cujus titulus est, *An sanguinis missio pro morbo Gallico curando sit necessaria*, & post multa quæ in præsentiarum ad rem non faciunt, fol. 303. incipit recensere rationes, ob quas sanguinis missio non convenit hîc verbis.



*Quia licet vena sectio sit refrigerativa cum hoc per accidens ei competat exustio Gallica non hoc, sed refrigeratione per se indiget, oppugnatura intemperiem, & calefactionem per se.*

Igitur (ita *D. Petrum* propriis ejus armis confodere volupe est.

Morbi omnes, qui refrigerativum per se exposcunt, venæ sectione non indigent; Si per Authorem venæ sectio tantum per accidens est refrigerativa; hujus ordinis considerantur à *Galeno* febres omnes, quoniam ab eodem in calore præter naturam positæ sunt; & præsertim ardentiores, quæ refrigerativum per se exquirunt; Sanguinis ergo detractio, cum per accidens sit refrigerativa, & propterea in Syphilide inconveniens, ad mentem *Authoris*, nulla potest in febribus celebrari, quæ cum per se calefactivæ sint, ut dictum est, refrigerativo per se, non per accidens, indigent? Pari modo dicendum de solidarum partium inflammationibus, utpote de Pleuritide, atque Phrenitide, quæ per se, & non per accidens refrigerativum exposculant.

## II.

Progreditur ad secundum argumentum in fol. 304. quod à *Cacochymia* *Cacomedicus*, desumit ad reprobendam Phlebotomiam in Lue Gallicâ, & ita fatur.

*Secundo, quia vitium, quod jecori, capiti, sanguini, spiritibus, & aliis partibus à Lue dicta (nempe Gallicâ) communicatur, non est peccans in quanto humores vel substantias fluidas corporis afficiens, sed in quali, ad Cacochymiam potius reducibile, quam ad plethoram, quo in casu amethodum putandum est consilium, id sanguinis missione docens expugnare; quæ nullatenus est correptiva vitiositatis Cacochymæ.*

Cui subjungi, ad secundum vulnus infligendum, possunt sine censurâ hæc reprobationi Phlebotomiæ in genere admodum faventia, comprobantia *Porij* nostri sententiam in *Erasistrato*, nempe hujusmodi: Si ita est (ut infallibiliter ita est,) omnes illi morbi, in quibus vitium est humores afficiens in quali, & non in quanto, sanguinis detractio non curantur; atque illi omnes, qui in similibus mor-



morbis, in quibus humores, non in *quanto*, sed in *quali* peccant, venam secare audent, absque ullâ quidem rectâ methodo id faciunt, quandoquidem *Author* hic noster inquit *sanguinis missio nullatenus per se est correptiva vitiositatis Cacochymæ*.

Cum autem nobis animus sit, *D. Petrum* per ea punire, per quæ peccat, neque verbum, neque lineam imminuendo in iis, quæ ipse scripsit, en ut interpretor verba illa *Sanguinis missio nullatenus per se est correptiva vitiositatis Cacochymæ*, ut idem significant, ac si dicatur *Sanguinis missio nullatenus per se vitia sanguinis in quali corrigere, & emendare potest*.

Præsens autem doctrina satis latè patet, & ejus usus frequentissimus esse debet, nam sæpessæpius in ipsis febribus, vel nulla prorsus est humorum abundantia, maximè si prima, secunda, tertiavè dies præterierit, tenuique victus ratione æger usus fuerit, vel si aliquid fortè superabundet (utatur verbis *D. Petri*) *ad Cacochymiam potius reducibile illud est, quam ad Plethoram, quo in casu amethodum putandum est consilium, id sanguinis missione docens expugnare, quæ nullatenus per se est correptiva vitiositatis Cacochymæ*. Verba sunt *Authoris*, qualiacunque à nobis scripta. Comprobat hoc *Prosper Marianus* verè *Hippocraticus*, ex quo nullimodè conceditur, imo apertissimè improbatur venæ sectio in corporibus *Cacochymis* febre laborantibus, ac similiter innumeris aliis in morbis dicendum est, quod si *Medicus* quivis post duos, tres, quatuorvè dies *plethoram* adhuc accuset, ut plurimum semetipsum accusat; siquidem vel ipso tempore dierum (modo in cibo, & potu nullus sit excessus) etiamsi *Medicus* nihil moliatur *plethora* cessare debet; quanto magis id fieri putandum est, si victus ratio fuerit parcior, aut vomitu, inferna dejectione; Urinis, sudoribusve aliquid fuerit evacuatum? Quod si morbus hos temporis limites transilierit, indicium erit, non à *plethorâ*, sed à vitio aliquo in *quali* morbum fieri; atque ideo ad summum his temporis limitibus positus, *amethodum putandum est consilium id sanguinis missione docens expugnare, quæ nullatenus per se est correptiva vitiositatis cacochymæ*: Et ecce quomodo reprobatur sanguinis detractio ipsissimis adversarij rationibus.

PHILALETHES.

*Jalemo frigidior D. Petrus* noster dicendus est, & rationes ab eo addu-

Aa

ctæ,



Æ, vel ipsas Neronianas thermas refrigerare possent; quippe quibus Portij, & Recentiorum doctrina apertissimè roboratur, & Censoris oppugnationes manifestissimè refelluntur.

### PHILARETUS.

Eadem paginâ 304. tertiam refert deblaterationem supra notatis non abfimilem, & quidem hisce verbis. Audite quæso, & cilia in arcum nè erigatis, si poteritis.

### III.

*Quia licet qualitas perniciosa dicta luis sit humorum excalefactiva non est tanta activitatis, ut possit humores rarefacere, venarum ruptionis periculo, ob quod veniret sanguinis missio indicata, ut in antea actis est probatum.*

Hinc infero sic: In omnibus ergo morbis, in quibus licet humorum excalefactiva qualitas inveniri, & considerari possit, ac debeat, quum illa non est tanta activitatis, ut possit humores rarefacere venarum disruptionis periculo, sanguinis missio nequaquam indicata venit, ut elegantibus dicendi formulis Authoris ipsius utar.

Insuper hic jure quærendum esset, & hujusmodi cum D. Petrulo discurrendum: Febres intermittentes tertiana, scilicet, quartana, varique similes morbi, cum humores non habeant sic rarefactos, ut vasorum disruptionis periculum imminere videatur; Phlebotomiâ quidem non sunt curandi, si per dicta, scriptaque scriptoris, cruentandi indicans venarum ruptionis periculum est, & timor; cum in antedictis non adsit rarefactio, vel excalefactiva vis, quæ valeat vasa disrumpere.

### BRUNUS.

Siquâ ex causâ daretur D. Petri caput infringi proculdubio de eo posset idem dici quod lepidè de Anfidio Aëtius, Syncerus, Sannazarus cecinit:

*Dum caput Anfidio tractat Chirurgus, & ipsum  
Alius exquirat, quo videat cerebrum.*

*Ingemit Anfidius: Quid me, Chirurge fatigas?  
Cum subij rixam, non habui cerebrum.*



## PHILARETUS.

Ita est, si rixam *D. Petrus* cum *Portio* nostro subire est ausus, vel saltem hydrocephalo ipsum laborare credendum est; hinc crassâ obrutus lymphâ, crassa iudicia promit, sed audiamus ipsum in quartâ oppugnatione.

## I V.

*Quarto quia sicuti pigros, inquit, segnes, & agrè mobiles reddere homines, quos corripit virus hoc celticum, videmus, ita tardiozem causare sanguinis circulationem, ob multas causas, quarum nulla vene sectionem admittit, est credendum.*

Ex hâc doctrinâ quisnam non inferet ita: Igitur semper, ac aliquis morbus *pigros, segnes, & agrè mobiles egros reddit*; Item cum *sanguinis circulationem in simili morbo tardiozem causari* arguimus, nequaquam sanguinis missio admittenda est.

Porro, æquo examine facto, quamplurimi morbi à tardiori sanguinis circuitu ortum habent, ac in specie quamplures febres circulationem sanguinis fortiuntur retardatam; ergo in hisce febribus secundum doctrinam *D. Petri* à Phlebotomiâ abstinendum, non solum in lue Gallicâ, sed in aliis etiam morbis, in quibus conspicitur sanguinis circularem motum retardari, evidentissimè militat hoc argumentum *D. Petri*; Sed varij sunt morbi, in quibus fluidorum, ac præcipuè sanguinis, motus retardatus censetur, & reverà est; ergo in omnibus his etiam interdicens est detractionis sanguinis usus; Et en quomodo paulatim, nunc per unum, nunc per aliud assertum argumentum ad mentem *D. Petri* nullimode licet Medico ad sanguinis detractionem venire.

## PHILALETHES.

Non sunt amplius respiciendi in eodem Decoris, vel Dedecoris gradu *D. Petrus, & Petrus*; *Petrus* enim, *Circulator Cybelejus*, circuitum sanguinis reprobât, quam *D. Petrus* in hâc propositione evidenter admittit.

## BRUNUS.

I' nunc, & crimine ab uno disce omnes? *D. Petrus* in tot delapsus errores in hâc veritate internoscenda non hallucinatur, sicut hallucinatur *Geosonensis Coræbus*.



Transit quintâ vice D. Petrus suam opinionem probans ad quintum argumentum, & inquit.

## V.

*Quinto, quia lues hac (nempè Celtica) iisdem suis motibus à centro ad Peripheriam corporis observatis, remedium, quod hunc motum impediât, intercipiât, vel obtorqueat cujusmodi est sanguinis missio respuere demonstrat, Medicumque debere esse naturæ imitatore, supra remansisse probatum recordamur.*

Hinc ego: Quotiescumque igitur à naturâ aliqui instituuntur salubres motus à centro ad Peripheriam, *Remedium* quod motus hos impediât, intercipiât, vel obtorqueat, cujusmodi est sanguinis missio, respuere ipsa scilicet natura demonstrat, medicumque debere esse naturæ imitatore, ab Authore supra probatum asseritur.

Ulterius: Si naturæ imitator Medicus esse debet, debet etiam quotquot motus natura tentat à Centro ad peripheriam perpendere; ut in hisce sedulâ consideratione sciat sæpesæpius hoc operari, per nares videlicet, per aures, per os, sive expuitione, sive vomitu per infernam alvi dejectionem, per urinas, quas in dies observamus naturam parare, juxta D. Petri sententiam, tale remedium, quod hos similesque motus impediât, intercipiât, vel obtorqueat, cujusmodi est sanguinis missio respuere, ac manifestè non tolerare, quod erat pro quarta ratione respondendum, & ni fallor progreditur ex hoc ad sextum (uti semper) aureum cogitatum: & ait.

## V I.

*Quia, cum vera essentia dicti morbi (scilicet celtici) non sit Medicis satis nota unde in qualitate occultâ sitam esse communiter affirmant ferè omnes, remedium Alexipharmacum requirere, ut cætera benefica (seu potius venefica) affirmandum occurrit; nec venæ sectionem Alexipharmacum, vel specificum contra aliquam labem esse ullus hucusque dixit.*

Propter hanc D. Petri Rationem, nemo quidem anceps animo veniet ad determinandum, valdè nimis restringi limites, in quibus  
spat.



spatiari possint phlebotomantes Medici : Ostendat mihi *D. Petrus* unum Iatrias Professore, cui in comperto sit, ac *satis nota* vera quorundam morborum essentia; *Et erit mihi magnus Apollo.*

Ostendat *D. Petrus*, num sibi sit *satis nota vera essentia* scabiei (quâ ipse vexetur adeò caninâ, & perenni, ut, totus in se scalpando semper occupatus, non curet amplius tot nugamenta conscribere) Absque dubio quidem prorsus dubia, immo, & penitus occulta est : dicat, & ostendat, si ipse in eâ curandâ specificis, & his diversis utatur : Ulterius si ipse *D. Petrus* quartanis febribus, ac tertianis occurrit Peruviano cortice (ut multi faciunt, seû verius omnes, ad ipsas curandas) dicat si sibimet ipsi, vel alicui *satis nota sit vera essentia* quartanarum, & *tertianarum*; eo magis, quod præfato cortice utitur ad illas, ac similes profligandas, tanquam specifico. Perpendat insuper, & ad rectum, syncerumque examen revocet, an sibimet ipsi *satis nota sint vera essentia* graviorum febrium, & præsertim earum, quas malignarum nomine horrorem inferunt. At quid dixi *perpendat*? Tenebris obscuriores ipsi, multisque, quos indicat, illæ sunt, si minus, ac Lues Celtica, per specifica medicamenta curandæ sunt. Item videat, num sibi, vel aliis *satis nota sit vera essentia* variolarum, & morbillorum? Ulterius videat, an Podagræ, Chiragræ, & universæ Arthritides, an Epilepsiæ, Apoplexiæ, an plurium tumorum, exempli gratiâ Scirrhi, Cancri, Erysipelatis; num ejus, cujus gratiâ lapides fiunt in animalibus; an ejus, cujus gratiâ coagulationes fiunt earum, quæ debent esse liquida, *vera essentia* genuina, de quâ dubitari nequeat, sit ipsi nota; & an in his similibus sexcentis aliis morbis (quos enumerare piget) sexcentis, & ultra specificis res agendat sit : Enimverò si in Lue Celtica, utpote occultæ causæ morbo non phlebotomia, sed specificis utendum, clarissimè, ac indubitanter infertur, ergo in omnibus morbis, in quibus *vera essentia*, non patet, sed ignota remanet, secundum *D. Petri* opinionem occurrendum est Alexipharmacis, seû specificis damnandaque Phlebotomia. Hæc sunt verba : Cujus (scilicet morbi) *vera essentia* nondum sit Medicis *satis nota*, unde in qualitate occulta sitam esse communiter affirmant ferè omnes remedium Alexipharmacum requirere, ut cætera benefica affirmandum occurrit; Nec venæ sectionem, Alexipharmacum, vel specificum, contra aliquam labem esse, ullus



hucusque dixit. Audivistis jam, ut optimè concludit, quod propriis verbis repetendum, *Nec venæ sectionem Alexipharmacum, vel specificum contra aliquam labem esse ullus hucusque dixit.*

Videat nunc *D. Petrus* quænam virtus venæ sectioni tribuenda juxta suam doctrinam, quibusque in casibus celebranda sit.

PHILALETHES.

O' utinam nonnulli Medici, nomine tenus Medici, ita cauti essent, ut hic in præfato morbo : Siquidem toties non infamaretur tale remedium aliquando (recto judicio adhibitum) proficuum, nec tale quid remedio eveniret, nec eodem abutentes imprudenter, fama deturparentur, & corpore; sicuti contigit nostram per Urbem discurrenti Lanioni cuidam potius, quam Medico, & si Medico *Dupondio* : Hic quondam phlebotomiæ damnavit miseram quamdam scemellam ostentans hoc sanaturam remedio, sed quid creditis? Phlebotomiæ verè damnavit, nam eodem temporis momento, quo ex sectâ venâ affirmabat egredi morbum, visa fuit ingredi mors. Accedebat interea mercede defraudaturus infelicem, cum non advertens totam sceminæ domum plenam ululatu, progreditur arrogans, primoque ingressu occurrunt quærulæ ægrotantis demortuæ, consanguineæ, quæ de non mittendo sanguine pluries conquestæ fuerant tenuem considerantes complexionem debilem perpendentes virium statum, morbumque ex alterius Medici opinione non egere cruentatione, immo ad mortem ægram ducturum fore asserentes; Confestim ergo visum verbis, ut æquum erat, contumeliosis aggressæ fuerunt, dein ex verbis ad opera venientes verberibus satis benè irâ percitæ sceminæ, ferè dilaniarunt, & ni fortuito obviam fuissent nonnulli continui beneficij memores *Vespillones*, qui manus adjutrices tanto Protectori admoverunt certè

*Il fisico gentil cadea nell' opra.*

BRUNUS.

De relato eventu, nemo est cui nota haud sit historia : Sed patratæ criminis pœna minima hæc fuit. Illa fuit maxima, & condigna, nempe lucri detractatio, quo fruebatur in castro quodam, ex quo pulsus, & in quo Medicum agebat : Nec minor hoc imo valdopere major punitio illa habita est, quâ mulctatus fuit in expulsionem à Nosocomio illo, in quod fraudulenter admissus fuerat, & ad-



adscriptus carnifex hic ad necem potius, quam vitam procurandam illic ægrè degentibus pauperculis hominibus.

### PHILARETUS.

Non parum hâc narratiunculâ vestrâ non adhuc mihi notâ, animum lætitiâ suffusum habeo. Et nunc mihi patefit quod temporibus elapsis de hoc dictum fuit satyrico illo carmine satis, benè huic eventui appropriato.

*Rusticus, & nuces non dant sine pertica fructus.*

Sed audite septimam D. Petri Rationem eamque septimum vulnus eidem infligentem conspiciate.

### VII.

*Septimo inquit, quia cum labes dicta (nempè celtica) alias fluidas substantias à sanguine afficiat, quarum non est proprium Remedium detractivum venæ sectio, non rectè administrandum est Remedium, quod causæ morbi non opponitur.*

Hæc sunt verba D. Petri; Ergo (à quolibet inferri potest) omnes morbi, in quibus sanguine immuni, *alias substantias fluidas* Medicus affectas considerat, non debent venæ sectione administratâ curari; non enim illorum est *proprium remedium detractivum venæ sectio*, imo *non rectè administrandum est remedium, quod causæ morbi non opponitur.*

Non enumero hîc omnes illos morbos, in quibus aliæ fluidæ substantiæ à sanguine diversæ afficiuntur, qui vel cuique Medicinæ Tyroni patent multissimi, quapropter brevitatis gratiâ non refero. Sed valet dicere quod in illis omnibus, & singulis sanguinem mittere non convenit, eo quod aliarum fluidarum substantiarum non est *proprium remedium detractivum venæ sectio*; nec *rectè administrandum remedium quod causæ morbi non opponitur*, ut eleganter D. Petrus scripsit.

Transit hâc expletâ ratione ad octavum argumentum, octavum acutissimæ suæ mentis miraculum.

### VIII.



Octavo, quia, cum, ut supra premisimus ab hac labe concoctiones (sanguinis præcipuè) vitari, & depravari observamus, quod faciei color mutatus, ad flavum, & citrinum, vergens ostendit; neque à vitiatas concoctionibus sanguinis plenitudinem oriri sit certum, non est, quod sanguinis missio pro eisdem ad naturalem statum reducendis, sit imperanda venarum sectione.

Obstupefco magis, atque magis, quotiescumque perpendo, virum, qui talibus est imbutus notitiis in talia errata delapsus tantâ, cum sui ipsius malâ existimatione: Sed redeamus ad octavum Argumentum: In omnibus igitur morbis, in quibus concoctiones (sanguinis præcipuè) quod faciei color mutatus, ad flavum, & citrinum vergens ostendit, quod etiam ostenditur nausæa, vomitu, iis etiam, quæ malè parata, infernè excernuntur, cuivis minus laudabilibus, aliisque innumeris signis, quibus conjicere, ac cognoscere possumus Coctiones sanguinis præcipuas vitari, & depravari; Neque à vitiatas concoctionibus sanguinis plenitudinem oriri, sit certum, non est, cur sanguinis missio pro eisdem ad naturalem statum reducendis, sit imperanda venarum sectione; Quæ verba eleganti stylo conscripto, quia veram videntur doctrinam continere, hic repetenda visa sunt.

## IX.

Nono, inquit, quia, cum morbus de quo loquimur, non sit malum, per se magnum, acutum, vel vehemens, quod citò, & cum vitæ periculo moveatur; alienum à ratione videtur, pro eo debellando, remedium per se magnum administrandum consulere, quod proportionem excedit.

Illatio hæc evidens quidem est; ergo quotiescumque secundum D. Petri doctrinam sanguinis missio mandatur, morbum (omnes scire debent) jam pronunciatum esse magnum, acutum, vehementem, qui citò, & cum vitæ periculo moveatur: Atque ideo nisi prius juxta ejusdem D. Petri doctrinam pronunciet Medicus, quod sit malum (quod præ manibus habet) per se magnum, acutum, vehemens, quod citò cum vitæ periculo moveatur; alienum à ratione videtur pro eo debellando remedium per se magnum administrandum consulere, quod proportionem excedit;



ac proinde absque enarratis conditionibus nulla instituenda venarum ad sanguinis extractionem apertio, sine temeritate.

Transcendit D. Petrus ad nobis promulgandum decimum Argumentum, ut sequitur.

## X.

*Decimo, quia, cum dictus morbus sit ex se, & naturâ suâ, chronicus, & diuturnus, quâ ratione vires in venturum tempus servandas desiderat, quasque à sanguinis missione citrà proprium indicans institutâ non refrangi, nemo negabit; obsonans esset remedium, virium refractivum proponere pro morbo, qui sine illo potest rectè sanari.*

Rationes ergo, quas Author affert pro suo Gallico morbo mihi videntur admodum refragari nobis adeo, ut firmiter, & absque censurâ, dicere possimus: Semper, ac aliquis morbus chronicus, atque diuturnus est, minimè curandus Phlebotomiâ; Sed multi sunt morbi, hoc ordine ægros extorquentes; Ergo juxta allatam D. Petri doctrinam ægri in hujusmodi morbis non sunt phlebotomandi.

Insuper perpendendum esset, dari chronicos morbos, & diuturnos, qui sanguine detracto, fiunt acuti; In iis igitur eo magis D. Petri doctrina laudanda est, utpote à quâ percipitur, in talibus à sanguinis missione abstinendum.

Econtra videmus, nonnullos morbos acutos non solum sanguinis missione, non curari, sed chronicos fieri, ac diuturnos; in quibus omnibus eò observabilior est doctrina D. Petri præcipiens à Phlebotomia abstinendum.

Item plerique alij sunt morbi, in quibus illud maximè exoptandum, vires in venturum tempus servandas desideratur, quasque à sanguinis missione citrà proprium indicans instituta, non refrangi, nemo negabit, absconans esset remedium virium refractivum proponere pro morbo, qui sine illo potest rectè sanari.

Cæterum pro coronide illud esset faciendum, nempe Catalogum illorum morborum, qui administratâ sanguinis missione curari nequeunt, ac proinde nulla in iis unquam instituenda; *absconans enim esset remedium, virium refractivum proponere pro morbo, qui sine illo potest rectè curari.* Verum cum agatur de re manifestâ, & indubitabili non est hîc immorandum.

## X I.

*Undecimo, quia cum in corporibus gallicatis cacochymia statim intro-*



ducatur, ac vigeat, qualiscumque ea sit, sive biliosa, sive pituitosa, sive melancholica, quantum purgatio juvat, sive alvi excretio (juvat autem multum, ut ex Hippocrate lib. de coacis prænotionibus vers. 79. constat) tantum sanguinis evacuatio ledit, sive spontè hoc accadat, sive à Medico secta vena procuretur; etenim si talia à corpore non educantur, qualia in eodem peccant, remedia quacumque nihil conferent, imoque nocebunt; hæc autem operandi norma, dum aliter juvare possumus, Tyranni non Medici munus est appellandum.

Hæc verba, quibus undecima ratio constat stupore me afficiunt, in his enim Author, utpote, & in cæteris jam relatis, indicat rectè sapere, rectique judicii specimen apertè demonstrat, ut mirum sit, quomodo hallucinari potuerit scribendo contra *Portium*, ita ut si tenorem hunc servasset in toto ejus opere crederem, quod scripserit contra *Portium* non quod ipse sentiret, sed ut alicui Phlebotomiæ magno fautori blandiretur: nam revera non solum convincunt undecim hæc propositiones *D. Petri*, sed à Phlebotomiâ abstinendum affirmare cogunt tam in gallicâ luc, pro quâ argumentatus est, quam in plurimis aliis morbis, ut ex eisdem deducitur, vel invito ipsarum Authore: Hinc fateri convenit *D. Petrum Tempiensem* non esse comparandum cum *Petro Geosonense* tamquam in omnibus fatuo.

Sed redeundo ad undecimam rationem dico ex hâc stabilitâ, & aliis jam dictis rarissimè Medicum ad Phlebotomiam recursum habere posse pro morbis curandis; Nam cunctas enumerando causas propter quas corpus, vel in corpore discurrentia alterari possunt syncerè loquendo potius ob cacochymiam, & ut plurimum, imò ferè semper, quàm ob Plethoriam propter quam vel rarò, vel nunquam: *Galenus* ipse in Synochis sanguinis missionem prohibet, nisi hæc primis diebus fuerit facta, dicit enim, quod facilè ad cacochymiam fit transitus propter quam minimè sanguis mittendus est: Item per *D. Petrum* si in gallicatis corporibus, in quibus *Cacochymia* statim introducatur, ac vigeat, qualiscumque ea sit, sive biliosa, sive pituitosa, sive melancholica &c. damnatur phlebotomandi usus, damnandus quoque est cæteris in morbis, qui à tali vitio corripuntur, sed multi sunt morbi isti, imò ferè omnes, præsertim omnes febres, quæ putridæ vocantur, tertiana scilicet, quotidiana, quartana, in quibus omnibus biliosa, vel pituitosa, vel melancholica, sive simplex, sive ex ipsis invicem composita cacochymia, ut continens



causa reponitur ab assertis *Galenicis*, prout ipsæ febres, sive legitime, sive spurie judicatae fuerint, & in quibus red arguit *Martianus*, increpatque recentiores adeò in mittendo in febribus sanguine audaces. Concludendum ergo absque fallacia in quamplurimis, ni dicam omnibus morbis, febribus signanter, non instituendam sanguinis detractionem, & qui aliter se gerunt Tyranni, (ut bene *D. Petrus* advertit) munus est appellandum.

Sed quæso *D. Petre* nonnè hi sunt ipsissimi sensus, ne dicam ipsissima verba, quibus in Erasistrati sui corollario *Galenum* loquentem *Portius* noster inducit? Unde ergo in tantâ opinionum conformitate, tam dira contradicendi, & oppugnandi cupido? Sit tandem inter genium, & ingenium tuum discors concordia, & *Lucam Antonium Portium* moralibus virtutibus ornatissimum, in Philosophiâ, Medicinâ, Geometriâ, in totâ Mathesi doctissimum agnoscens, ne amplius oppugnare in animo sit, sed in posterum venerare, dilige, & commenda.

His quo ad *D. Petrum* animadversis, ad nostrum redeundo scribendi scopum, monitum te *Martine* velim, te mihi antea nec injuriâ cognitum, nec favore, meque nihil fraternâ, & Christianâ nudatum charitate, ad quam totis incumbo viribus, ut lividus in te fierem, & essem conviciosus. De te quæror, qui edicto causam dedisti præstantissimum *Musitanum* nostrum Religiosissimum, Doctissimumque Virum impugnando, indignis herclè dictis irrisionibusque te indecorare tentasti. Mihi pro tanto bene merito amico in animo tantum fuit privatam conscribere, modestamque Apologiam, quod eam, hac & virtute ditarem, putans ad tuas ita scriptam venturam manus, atque ab eâ fructum aliquem te percepturum: verum cum audivissem externos nonnullos graviores equidem viros, & qui alias dedecorata Typis volumina conscripserunt, solâ literariâ necessitudine, quamvis longinquâ *Musitano* nostro conjuncti onus subierint ex professo hanc ventilandi materiam: Parum mihi officiosus erga tantum visus mihi essem amicum, nisi omnes meos edere nisus in hoc ipso conarer, eoque magis ut tibi morem gererem illis in punctis, in quibus tibi satisfactum iri, optare gestis: ex hoc itaque Provinciam aggressus sum, in quâ si nonnulla asperiora, quam voluerim prolata, videntur, te ipsum accusa meminisse debentem, quod unum nunquam injuriæ unâ satisfacit responsivâ contumeliâ. Quid



inde sensurus sis hæreo, num in bonam rediturus mentem, an verò ut inquit *Seneca in malè captis melior videatur pertinacia, quam penitentia*. Expecto quod facturus sis, & si tibi eadem sit mens, idem sit animus, eadem scribendi sint formæ, aude, scribe, quicquid sentis, & foras manda: Parum referat benè, vel malè sentias, benè, vel malè audias; *Fama enim, sive in bonum, sive in malum fama est*: Nec majori ejus tubâ cognoscimus Pyrrhum maximum inter Græcos strenuitate, & sine quo in fatis erat Troiam subjici non posse, quam Erostratum Dianæ Templi in Epheso unius ex septem Orbis miraculis incendiarium, de quibus inter Hetruscos Poëtas Lyricos prius Comes Fulvius Testi aptè cecinit.

*Or qui si ride*

*Erostrato di Pirro, e non men giova*

*D'un, eccelso Valor, un' empia prova*

Non defuere, qui in alienis injuriis famæ immortalitatem quæsi-  
runt quâ potitus est *Gaspar Murtula*, de quo jocosè cecinit Eques  
*Joan. Baptista Marinus* Italicæ Poësis fecunditate, & amœnitate,  
conspicuis

*Gran senno ebbe costui*

*Che non valendo per se stesso un Zero*

*S'immortalò con le fischiate altrui.*

Quod idem ei convenit de quo *Flaccus* scripsit

*Populus me sibilat, & mihi plando*

*Ipsè domi.*

Si verò in meliorem frugem conversus scientificorum sequutus mo-  
rem totam in argumentis acutiem ostentare voles, rejectis maledi-  
centiæ spinis, certè non idem eveniet, quod de Echino scripsit  
*Martialis*.

*Iste licet digitos testudine pungat acuta*

*Certice deposito, mollis Echinus erit.*

Totamque nostram aciem convertes in responsiva construenda argu-  
menta per rationes, & authoritates absque probris, absque asperis  
verbis, & ut fit, etiam commendando, quæ magis diffilare, & rejicere  
tentamus. Sis tu ergo Arbitrator, tu Elector tuæ, & nostræ scribendi  
formulæ tibi in hoc obtemperabimus, & morem pro tuo arbitratu  
geremus; Et hæc satis de utroque *Petro*, in alterum nunc jamdiu  
decretum solatium concedamus.

F I N I S.



*All' Eccellentissimo & Eruditissimo*

S I G N O R E

GIO. ANDREA LIZZANO

PHILOSOFO, & MEDICO

PRESTANTISSIMO

*S'Allude al suo Libro intitolato*

MARTINUS IN TRUTINA

S O N E T T O

DI

CATONE AVRELIO CLABES:

**C**Io che mai possan far d'egro, e di male  
D'un Medico imprudente i rei consigli  
Approvando *Martin* gl'urti, e i perigli  
De la vita del'huom mette in non cale:

Mà Tu contro di lui spiegando l'ale  
Aquila generosa, e i forti artigli,  
L'Error, l'inganno suo guasti, e scompigli  
Con la vera del Sol luce immortale.

Quind'è ch' in quest'oprar, si destro, e fino  
L'uno in mal, l'altro in ben di si gran pondo  
D'uopo è dir, che gran parte habbia il destino;

Giusto del Ciel Giudizio alto profondo,  
Fà tanto errare, e traveder *Martino*  
Per tu così disingannare il Mondo.

Bb 3

Altro



Altro  
*S' A L L V D E A*  
**MARTINO DI GIFONI,**  
*E*  
**D. PIETRO AQUENZA**  
*T E M P I E N S E*  
**S O N E T T O.**

**E** Ntra in Mar d'eloquenza alto, immortale,  
 E con nuova erudita, e nobil' Arte,  
 Scioglie Chimico Eroe, fissa, e comparte  
 All' onde il dolce, ed alle spume il sale:

Indi del' ignoranza i mostri assale  
 Scorrendo alto Campion, di parte in parte  
 E mostran le lor membra, iufrante, e sparte  
 Che dou' egli campeggia, error non vale.

LIZZAN parlo di te, nè parlo in vano,  
 Che mentre al tuo valor fiso hò lo sguardo  
 M' infonde un tal pensier spirto sovrano

E ben diran, quanto sia tù gagliardo  
 I voraci Avoltoi del sangue humano  
 Vedendo à terra il *Gifonese*, c' l *Sardo*.

---

*M A R T I N V S I N T R U T I N A.*

Distichon ejusdem Authoris

MARTINUS, Trutinæ Infensus, Perpensus eâdem  
 Errorum Nebulis, Agnitus est Nebulo.

*Cele.*



*Celeberrimo , & Experientissimo*

DOMINO

GABRIELI CRAMERO

MEDICINÆ CORYPHEO

Amico meo æternum Colendissimo.

S. P. D.

CAROLUS MUSITANUS

IATRIAS PROFESSOR.



MISSA quondam in lucem Mea TRUTINA MEDICA Anno 1688. per Orbem literarium aliquot annos feliciter exspatiata fuerat, plurimis Medicinæ Candidatis, atque cultoribus admodum accepta, grata, & magni habita: & nemo unquam, quod ego sciam, ne levi quidem verbo ipsam vellicandi animum induerat. Cum tandem in manus cujusdam homuli *Martini Geofoneasis* devenisset, qui se fidelissimum *Galen*i affeclam, propugnatoremque jactitat; haud eam experta fuit humanitatem, quam in cœteris compererat. Coepit homo ille acriter in ipsam invehi, atque debacchari, nugæ effutire, atque convitiis, probrisque discerpere; schedisque non paucis in eam conscriptis, volumen, quod ad TE, mi Dilectissime *Cramer*, mitto, typis mandavit. At nihil interea existimationis, aut vigoris meæ detractum est TRUTINÆ, quamvis *Martinus* in suis eam ineptè proscindat scriptis, & demoliri omnibus contendat nervis; haud enim tanti sunt ineptorum conatus. Sinopeum philosophum male feriat quidam illudebant, ipse verò non illudebatur; quare dicenti, multi te irrident, ò *Diogenes*, ast ego non irrideor, respondit: ità licet *Martinus* stylo plumbeo in suo volumine Meam divexet, ac lædat TRUTINAM, ipsa tamen non læditur, atque apud peritos



peritos viget illæsa. Candida Luna ex Cœli luminaribus alterum,  
latrantibus in ipsam canibus, suum iter haud intermittit; quare cœ-  
cinit Clarissimus *Alciatus*:

*Et latrant, sed frustra agitur vox irrita ventis,*

*Et peragit cursus surda Diana suos.*

Haud aliter suum cursum per Orbem literarium mea feliciter  
prosequitur *Trutina*, quamquam suas processas, tempestatesque in  
eam obloquendo, seu oblitrando excitet *Martinus*. Haudque tan-  
tum edito volumine, *Martinus* nè hilum quidem obicis, aut detri-  
menti *Trutinæ* attulit *Meæ*, quod erat in votis, verum etiam sibi  
ipse magnum peperit dedecus, & suo juramento malum acerfivit,  
suam etenim inscitiam, suasque ineptias, quæ plerosque latebant,  
evulgavit; adeoque suo ipsius opere se traduxit, ut hic apud viros  
literis, atque doctrinâ excultos per totam urbem fabula evaserit.  
Quapropter hominem responsione indignum duxi, & despiciatui  
habendum putavi, immò in ludum literarium detradendum, ut  
rectè loquendi, scribendique latinè formulas sub *ferulâ* ediscat, cum  
haud parum Latinitatis Rudem, Ignarumque in hoc volumine se  
detegat. *Aristippum* mihi est animus in hoc imitari, qui cum à quo-  
dam probris, & maledictis incesseretur, illum contemnens, ne in-  
tuitu quidem, nedum voce dignatus, præteriit. *Galenico* displicui:  
cur id morer? pluris ego facio placuisse uni *Clerico*, uni *Mangeto*,  
uni *Cramero*, qui mea pronis excipere animis non abnuunt; pluris  
ego duco Viros ex *Eruditis Lipsiensibus*, qui perlectâ meâ *Trutinâ Chirur-*  
*gico-Pysicâ*, eam in acta Anni 1699. non sine ingenti laude retulerunt,  
quàm rotum Vulgus Galenicum, quamvis innumerabile, & infini-  
tum esset. Intercâ cum me non prætereat, quod philantiâ quadam  
nos homines plerumque ducamur, quæ ut ait *Seneca*, vitium nobis  
familiarè, ac domesticum est, eaque nostra magni existimamus,  
alienaque adversariorum præsertim, floccipendamus; idèò ad Te  
Acerrimi, simul atque integerrimi judicij Virum *Martini* volumen  
mitto, ut cum id legendo percurreris, sincero, quo præditus es  
animo, tuum calculum exhibeas; idque à Te vehementer etiam,  
atque etiam peto. Vale mi Suavissime *Cramer*, atque in Tuorum  
numero ne dedigneris me semper habere, Iterum Vale.

*Scripsi Neapoli Anno à partu Virginæ M. DCC. Die vero*

LAURENTII MARTYRIS,





V I R O

*Nobilissimo & Reverendissimo*

D O M I N O D.

C A R O L O M U S I T A N O

PHILOSOPHIÆ, AC MEDICINÆ

P R O F E S S O R I

*Famigeratissimo, & Experientissimo*

S. P. D.

G A B R I E L C R A M E R U S.



ANNO proximè elapso, Vir Reverendissime, & Doctissime, *Trutinam Tuam Medicam*, non solum semel, atque iterum evolvi, sed & cum maximo oblectamento, & utilitate perlegi, quæ cum tam firmis, & veris innixa sit fundamentis, mirari satis non possum, quod repertus sit malevolus quidam Zoilus, & detractor, nomine *Martinus*, fanaticus proculdubio & hypochondriacus, qui famæ, & gloriæ tuæ invidus, in doctrinam tuam ratione, & experientiâ fundatam, ausus sit debacchari. Cum tota Medicorum familia immortales tibi debeat agere gratias, solus Cavillator *Martinus*, lucubrationes tuas toti Reipublicæ Apollinæ utilissimas, tentavit, sed irritò conatu obumbrare, si sanâ rationis mente *Trutinam tuam* trutinasset, & sine præconcepta opinione attentè legisset, admirator



tor ejus proculdubio fuisset, & loco conviviorum, summis encomiis  
dignissimam & lauro decorandam, pronunciaffet, hoc tamen bi-  
lem tuam movere non debet, Vir Excellentissime, quod honoris  
fit ab iniquis scriptis & calami proscindi, invidia siquidem virtutis  
pedissequa: Eandem cum plurimis Viris Celeberrimis, & Doctissi-  
mis sortitus & aleam, qui nefarios habuere detractatores: Blate-  
ret ergo, & grunniat *Martinus*, famam tuam conetur dilapidare,  
nullam tamen illi labem poterit affricare. Ignosce illi, Vir Reve-  
rendissime, forsan mores suos castigabit in posterum, nisi unus ex  
iis sit, qui errores suos non capiunt, aut capere nolunt, vel cum  
errantibus pertinaciter errare, quàm veritati subscribere malunt.  
Interim Vir admodum Reverende, Nestoreos tibi apprecor annos,  
ut vel invito etiam ipso *Martino*, Doctissimis tuis scriptis inclytam  
nostram artem ulterius beare, & me virtutis & reconditæ tuæ cru-  
ditionis admiratorem amare, & redamare pergas.

Geneva 9, Septembris 1709.





*Ad Perillustrem & Reverendum*

DOMINUM D.

CAROLUM MUSITANUM

Doctorem Celebrem, ac Recentioris Apollinis

Artis Oraculum.

*EPIGRAMMA.*

**D**iscutit ut tenebras nitidus Sol noctis opacæ  
Neptuni dùm undis surgit ab equoreis.  
CAROLE, sic umbras mentis, MUSITANE, Galeni  
Nuncque tui lumen dissipat ingenij.  
Deprecor, ut Parcæ vitæ tuæ stamina ducant  
Longa, adsitque tibi turbida nulla dies.  
Ut tu mortali, profit tibi Numen Olympi,  
Et nunc, & semper, sicque Beatus eris.

*Astæ*  
18. Septembris 1700.

Humilissimus, ac Studiosissimus Servus  
JOSEPH SECUNDUS VAYRUS  
Medicus Astensis.





*Ad Clarissimum Virum*

DOMINUM D.

CAROLUM MUSITANUM

REVERENDVM PRESBYTERVM,

ET

CELEBERRIMUM MEDICINÆ  
DOCTOREM.

**M**USITANE tuas indignus dicere laudes  
    *Martinus*, carpit quæ malè mente capit.  
Artis Apollineæ gnarum se jactat in Orbe;  
    Insipiens Doctis audiet ille tamen.  
Nam TRUTINAM trutinans, sapiens quam suspicit Orbis,  
    Despicit hic solus, nec putat esse probam.

Venerandi Authoris iniquo adversario raptim hoc Hexastichon  
Occinuit

JACOBUS BANDOL,

Theologus φιλάτης

IDEM



IDEM EIDEM DOMINO  
DOMINO  
CAROLO MUSITANO

Χαίρει,

Sed

MARTINO GEOFONENSI

Ἐγχαίρει.

**M**iseret me miseræ sortis tuæ, miser *Martine*, quòd in te, miseram ut bubonem, nobiles tot excitaveris Aquilas, quæ regio clangore suo reprimunt tuum ferale carmen adversus Apollinis filium, qui ipse Machaonas inter, velut Aquila in nubibus, volans, Medicinam ad Sydera tollit. Nasonis verba mutuari si liceret,


*I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos,*

*Quicquid & in tota nascitur Anticyra.*

Tibi contra ex intimis præcordiis gratulor, Reverende MUSITANE, cui Hippocratem atque Galenum, Paracelsum & Helmontium, suo velut Interpreti luculentissimo, & explanatori locupletissimo debitores efficit Auro Cedroque digna Tua TRUTINNA MEDICA, quòd merita Medicaſter elogia imprudens Tibi arceſſiverit ab æquiſſimis legitiſque Judicibus litis inter vos in Parthenopæa ditione ventilatæ.

*Vive diu fœlix, & ſit grandæva ſenectus*

*Solamen miſeris, quæ morbi corpora vexant.*



**Q**uis, *Martine*, furor mentem tibi concitat atram,  
Ut MUSITANUM vituperare velis?  
Define plura loqui: Sed Opus mirare ſilenter  
Eximium, bilem ſi cohibere nequiſ.

*Hoc Tetraſticho accinuit Venerando  
Genitori*

JOH. JACOBUS BANDOLA



RELATIO  
PARNASSI  
DE RESPONSO

MARTINI

TRUTINÆ MEDICÆ  
MUSITANI,

SCRIBENTE

CATONE AVRELIO ACLABES.

HEXASTICHON.

BE BENE TU VALEAS, DIXIT MARTINUS APOLLO;  
BE BENE ME SERVES, PULCHER APOLLO, PRECOR:  
EN TIBI *RESPONSVM TRVTINÆ*: CUI PROTINUS ORA  
UMBRA TECTUS ATRA, PROTULIT ORE DEUS:  
QUID TIBI CUM CLARIS MEDICÆ MAGNATIBUS AULÆ?  
I, LANIO INFAMIS, BARBARE TORTOR, ABI.

F I N I S.















